Cathalogo librorũ Biblio-
-thecæ Noviciatûs ad S. Bar-
-baram inscribitur 1748
Sub nro 158.

SERIES VITÆ
SS. Patrum, quos Eremus Paulina transmisit Astris.

nec non

quos Coenobitica Claustra *in conspectu DEI Hominumq; reddidit gratiosos, excerpta ex Fragmine Panis*

seu

ANNALIBUS
Sacri Ordinis Paulinorum

Ab Anno Salutis 342.

Ad Annum Domini 1663.

Viennæ Austriæ impressis, reimpressa curâ F. JNNOCENTIJ POKORSKI Or. S. Pauli P. E. Vicarij Provinciæ Polonæ Prioris Varsaviensis.

Cum facultate Superiorum A. 1730.

VARSAVIÆ
Typis S.R.M. & Reipublicæ in Col. Schol: Piarũ.

Imprimatur.

JOANNES TARŁO Epiſcopus Poſnanienſis.

FACULTAS
Reverendiſſimi in Chriſto Patris P. Stephani Demſich Ord. S. Pauli P. E. Generalis.

Reverende in Chriſto P. Vicari P. Obſervandiſſimè.

Vitas ſpecificatas Patrum noſtrorum, prout ſunt in Fragmine Panis expoſitæ & approbatæ ut typis mandare poſſit Paternitas Reverenda prout & Libellum reimprimere nominatum: Ovis in medio luporum, *Martyrium videlicet Patris* GEORGII CHEPELENII, *cum approbatione Illuſtriſſimi Loci ordinarij, præſentium vigore Paternitati Rndæ facultatem impertior; laudoq; S. zelum Paternitatis Rndæ in promotione honoris DEI & Religionis ſibi aliunde innatum ac in multis iam probatum. Datum in MARIÆ Tall 21. Ianuarij 1730.*

F. Stephanus Demſich
Generalis mpp.

Protestatio Authoris.

UT sacrosanctè veneror S. Sedem Apostolicam eiusq; Sanctiones, ita Decretum S. Romanæ & Universalis Inquisitionis Anno 1625. editum, ac deinde Anno 1634. confirmatum iuxta declarationem Urbani 8. inviolatè à me servari volo: protestor me hac scriptione seriei vitarum Venerabilium Patrum Nostrorum Cœnobitarum S. Ordinis Nostri non id agere, ut illis famam sanctitatis arrogem, aut cultum religiosum conciliem, aut his, quæ scribo, majorem quam humanam fidem Authori velim, aut velut approbata ab Ecclesia proponam, sed potius omnia, quæ affero, non alio à me studio scribi, quam ut humanam mereantur fidem.

F. Innocentius Pokorski.
mpp.

Deſcripturus prodigioſam vitam Inclyti & Glorioſi Patris mei,nec non Divorum Paulinorum, occurrit Epitome Vratiſlavienſis Academiæ Societatis JESU affixum Theſibus honori Sereniſſimi & Celſiſſimi Principis Epiſcopi Vratiſlavienſis nunc Archiepiſcopi Colonienſis & Electoris S.R.I. dedicatis:

LUX OMNIS IN UNUM
VIS OMNIS IN UNUM
COLOR OMNIS IN UNUM
VIRTUS OMNIS IN UNUM
- - - - quæ diſperſa per omnes Tu collecta tenes - - -



EPITOME Sanctorum, nec non Virorum Illustrium Ordinis S. Pauli Primi Ere:

Strahowsky Sc: Wrat:

Vita S. PAULI P. Eremitæ Authore

D. Hieronymo Presbytero & Ecclesiæ Doctore.

SUb Decio & Valeriano persecutoribus, quo tempore Cornelius Romæ, Cyprianus Carthagine, felici cruore damnati sunt, multas apud Ægyptum & Thebaidem Ecclesias tempestas sæva populata est. Voti tunc Christianis erat, pro Christi nomine gladio percuti. Verùm hostis callidus, tarda ad mortem supplicia conquirens, animas cupiebat jugulare, non corpora. & ut ipse (qui

ab eo paſſus eſt) Cyprianus ait: volentibus mori non permittebatur occidi, cujus ut crudelitas notior fiat, duo memoriæ causâ exempla ſubjecimus. Perſeverantem itaq; quendam in fide martyrem & inter aculeos laminaſq; victorem, iuſſit melle perungi, & ſub ardentiſſimo Sole, religatis poſt tergum manibus reſupinari: ſcilicet ut muſcarum aculeis cederet, qui ignitas ſartagines ante ſuperaſſet. Alium iuvenili ætate florentem in amæniſſimos hortulos præcepit abduci; ibiq; inter candenta lilia & rubentes roſas, cum leni murmure aquarum iuxta ſerperet rivus, & molli ſibilo arborum folia ventus perſtringeret, ſuper extructum plumis lectum reſupinari iuſſit, & ne ſe inde poſſet excutere, blandis, ſerico nexibus irretitum relinqui, quò cum recedentibus cunctis, meretrix ſpecioſa veniſſet, cœpit delicatis ſtringere colla complexibus, ut corpore in libidinē concitato, ſe victrix impudica ſuperiaceret. Quid ageret miles Chriſti, & quo ſe conferret, neſciebat, quē tormenta non vicerant ſuperaret voluptas? Tandem cœlitus inſpiratus præ-

ci

cisam morsu lingvam in osculantis se faciem exspuit, ac sic libidinis sensum, succedens doloris magnitudo superavit.

Per idem ergo tempus, quo talia gerebantur apud inferiorem Thebaidem, cum Sorore iam viro tradita, post mortem amborum parentum, in hæreditate locupleti PAULUS relictus est, annorum circiter quindecim, literis tam Græcis quam Ægyptiacis apprimè eruditus, mansveti animi, DEUM valde amans. Et cum persecutionis procella detonaret, in villam remotiorem & secretiorē recessit. Verum quid non.

- - - *Mortalia pectora cogis*
Auri sacra fames - - -

Sororis Maritus cæpit prodere velle, quem celare debuerat; Non illū vxoris lachrymæ, non communio sangvinis, non cuncta spectans ex alto DEUS, à scelere revocabat. Ad hæc instabat crudelitas, quæ pietatem videbatur imitari; quod ubi prudentissimus adolescens intellexit, ad montium deserta fugiens, dum persecutionis finem præstolaretur, necessitatem in voluntatem vertit, ac paulatim

progrediens, rursusq́; tantundem atq́; hoc idem sæpius faciens, tandem reperit saxeum montem, ad cuius radicem haud procul erat grandis spelunca, quæ lapide claudebatur; quo remoto, ut est cupiditas hominum occulta cognoscere, avidius explorans, animadvertit intus grande vestibulũ, quod aperto desuper cælo patulis diffusa ramis vetus Palma contexerat, fontem lucidissimum ostendens; cujus rivum tantummodò foras erumpentem, statim modico foramine, eadem quæ genuerat aquas terra, sorbebat. Erant præterea per exesum montem non pauca habitacula (in quibus scabra, iam incudes, & mallei, quibus pecunia olim signata) visebantur; hunc locum Aegyptiorum literæ ferunt, furtivæ monetæ officinam fuisse, ea tempestate qua Cleopatræ iunctus erat Antonius.

Igitur adamato (quasi quod à DEO sibi offerretur) habitaculo, omnem ibidem in orationibus & solitudine duxit ætatem. Cibum & vestitum ei palma præbebat; Quod ne cui impossibile videatur, JESUM testor & SS. Angelos eius, in ea eremi

mi

mi parte, quæ iuxta Syriam Sarracenis jungitur, vidisse me Monachos, de quibus unus triginta iam annos clausus, hordeaceo pane & lutulenta aqua vixit. Alter in cisterna veteri (quam gentili sermone syricubam vocant) quinq; caricis per singulos dies sustentabatur. Hæc igitur incredibilia videbuntur esse his, qui non crediderint, quia omnia possibilia sunt credentibus.

Sed ut ad id redeam, unde digressus sum, cum iam centum tredecim annos B. Paulus vitam cælestem in terris ageret, & nonagenarius in alia solitudine moraretur Antonius (ut ipse asserere solebat) hæc in mentem eius cogitatio incidit, nullum ultra se perfectum Monachum in Eremo consedisse. At illi per noctem quiescenti revelatum est: esse aliũ interius multo se meliorem, ad quem visendum deberet properare, illico erumpente luce Venerabilis Senex infirmos artus baculo regente sustentans, cœpit ire velle, quo nesciebat, & iam media dies coquente desuper sole fervebat, nec tamen à cœpto itinere abducebatur dicens: Credo in

Deum meum, quod ſeruum ſuum quē mihi promiſit, oſtendet. Nec plura his, conſpicit hominem equo mixtū, cui opinio Pòëtarum Hypocentauri nomen dedit, quo viſo, ſalutaris impreſſione ſigni armat frontem; & heus tu, inquit, Quanam in parte hic Servus DEI habitat? At ille barbarum neſcio quid infrendens & frangens potiùs verba quam proloquens, inter horrentia ora ſatis blandum quæſivit alloquium, & dextræ manus extenſione cupitum indicat iter: & ſic patentes campos, volucri transmittens fuga ex oculis mirantis evanuit. Verùm hoc utrum diabolus ad terrendum illum ſimulaverit, an ut ſolet Eremus monſtroſorum ferax animalium, iſtam quoq; gignat beſtiam, incertum hábemus. Stupens itaq; Antonius & de eo quod viderat ſecū volvens ulterius progreditur.

Nec mora inter ſaxoſam convallem, haud grandem homunculum videt, aduncis naribus, fronte cornibus aſperata: cuius extrema pars corporis, in caprarum pedes deſinebat, infractuſq; & hoc Antonius ſpectaculo, ſcutum fideī & loricam ſpei, bonus

nus præliator arripuit; nihilominus memoratum ánimal palmarum fru-ctus ei ad viaticũ quasi pacis obsides afferebat; quo cognito gradum pressit Antonius, & quisnam esset interrogans, hoc ab eo responsum accepit: Mortalis ego sum & unus ex accolis eremi, quos vario delusa gentilitas, Faunos, Satyrosq; & incubos vocans, colit; legatione fungor gregis mei, precamur ut pro nobis communem DEUM depreceris, quem pro salute mundi venisse cognovimus & in universam terram exivit sonus ejus. Talia eo loquente, longævus Viator, ubertim faciem lachrymis rigabat, quas magnitudo lætitiæ indices cordis effuderat, gaudebat quippe de Christi gloria, ac de interitu sathanæ, simulq; admirãs, quod eius posset intelligere sermonem, & baculo humum percutiens ajebat; Væ tibi Alexandria, quæ pro DEO portenta veneraris! Væ tibi civitas meretrix in quam totius orbis dæmonia confluxêre, quid tunc dictura es? bestiæ Christum loquuntur & tu pro DEO portenta veneraris? Necdum verba compleverat, & quasi pennigero volatu petulcum animal aufugit. Hoc

Hoc ne cuiquam ob incredulitatem ſcrupulum moveat, ſub Imperatore Conſtantino, univerſo mundo teſte defenditur: Nam Alexandriam iſtius modi homo vivus perductus, magnum, populo ſpectaculum præbuit, & poſtea cadaver exanime ne calore æſtatis corrumperetur, ſale perfuſum Antiochiam, ut ab Imperatore videretur, allatum eſt. Sed ut propoſitũ proſequar, Antonius cæptam Regionem, quid ageret, quo verteret gradum, neſciebat. Iam altera effluxerat dies: reſtabat unum, ut deſeri ſe à Chriſto non poſſe confideret. Pernox ſecundas in oratione exegit tenebras, & dubia adhuc luce procul intuetur lupam ſitis ardoribus anhelantem, ad radicem montis adrepere; quam ſecutus oculis, & iuxta ſpeluncam cum fera abijſſet, accedens, cæpit intra aſpicere, nil curioſitate proficiente, tenebris viſum arcentibus; verùm, ut Scriptura ait: Perfecta dilectio foras mittit timorem, ſuſpenſo gradu & anhelitu temperato, callidus explorator ingreſſus, ac paulatim progrediens, ſæpiuſq; ſubſiſtens ſonũ auræ capiebat. Tandem per cæcæ no-

ctis

ctis horrorem procul lumen intuitus, dum avidius properat, offenso pede in lapidem strepitum concitavit; post cujus sonitum B. PAULUS ostium quod patebat occludens serâ obfirmavit. Tunc verò Antonius præ foribus corruens, usq; ad sextam & eo amplius horam aditum precabatur, dicens: Quis sim, unde, cur venerim, nosti, scio me non mereri conspectũ tuum, tamen nisi videro, non recedam, qui bestias recipis, hominem cur repellis? quæsivi, & inveni: pulso ut aperiatur mihi, quod si non impetro, hic moriar ante postes tuos, certè sepelies vel cadaver meum.

Talia perstabat memorans fixusq; manebat
Ad quem responsum paucis ita reddidit Heros.

Nemo sic petit ut minetur, nemo cum lachrymis iniurjam facit: & miraris si non recipiam, cum moriturus adveneris? sic arridens PAULUS, patefecit ingressum. Quò aperto dum in mutuos miscentur amplexus, proprijs se salutavêre nominibus, gratiæ Domino in commune referuntur, & post sanctum osculum residens PAULUS cum Antonio ita exorsus est; *En quē*

tanto

tanto labore quæsiisti, putridis senectute membris operit inculta canities, en vides hominem pulverem mox futurum. Verùm quia charitas omnia sustinet, narra mihi quæso quomodo se habeat humanum genus? an in antiquis urbibus nova tecta consurgant? quo mundus regatur imperio? An supersint aliqui? qui dæmonum errore rapiantur?

Inter has sermocinationes suspiciunt alitem corvum in ramo arboris consedisse, qui inde leviter subvolans integrum panem ante mirantium ora deposuit, post cuius abscessum; *Eja* inquit *Paulus, Dominus nobis prandium misit; verè pius, verè misericors: Sexaginta iam anni sunt, quod accipio dimidij panis semper fragmentum; verùm ad adventum tuum, militibus suis Christus duplicavit annonam.* Igitur Domino gratiarum actione celebrata, super vitrei fontis marginem uterq; consedit. Hic verò quis frangeret panem oborta contentio, penè diem duxit in vesperam. Paulus more cogebat hospitii, Antonius iure refellebat ætatis; tandem consilij fuit, ut apprehenso à regione pane, dum ad se quisq; nititur, pars cuiq; remaneret in manibus. De-

hinc

hinc paululũ aquam in fonte prono ore libarunt & immolantes Deo sacrificium laudis, noctem transegêre vigilijs. Cumq; iam esset terræ redditus dies, B. Paulus ad Antonium sic locutus est: olim te Frater in istis regionibus habitare sciebam, olim te conservum mihi promiserat Dominus, sed quia iam dormitionis tempus advenit, ac (quod semper cupiebam dissolvi & esse cum Christo) peracto cursu superest mihi corona justitiæ: Tu missus es à Domino, qui humo corpusculum tegas, imo terram terræ reddas.

His Antonius auditis flens & gemens, ne se desereret, atq; ut comitem talis itineris acciperet, precabatur & ille, non debes, inquit quærere quæ tua sunt, sed quæ aliena; Expedit quidem tibi abjectâ carnis sarcinâ Agnum sequi, sed & cæteris expedit Fratribus ut tuo adhuc instituantur exemplo.

Quam ob rem perge, quæso, ni molestum est, & pallium quod tibi Athanasius Episcopus dedit ad involvendum corpusculum meum defer. Hoc autem B. Paulus rogavit, non

quod

quod magnopere curaret, utrum te-ctum putreſceret cadaver, an nudum: quippe cum tanto tempore contextis palmarum folijs veſtiret: ſed ut à ſe recedenti mæror ſuæ mortis levaretur. Stupefactus ergo Antonius quod de Athanaſio, & de pallio ejus audierat, quaſi Chriſtum in Paulo videns, & in pectore Deum venerans, ultra reſpondere nil auſus eſt: cum ſilentio lachrymans, oſculatis eius occulis manibuſq́; ad monaſterium, quod poſtea à Sarracenis occupatum eſt, regrediebatur.

Neq́; verò greſſus ſequebantur animum, ſed quamvis corpus inane jejunijs, ſeniles etiam anni fregerant, tamen animo vincebat ætatem; tandem fatigatus & anhelus ad habitaculũ ſuum confecto itinere pervenit. Cui cum duo diſcipuli, qui ei longo tempore miniſtrare conſueverant, occurriſſent, dicentes: Ubi tam diu moratus es Pater? reſpondit: Væ mihi peccatori! qui falſum Monachi nomen gero; vidi Eliam, vidi Joannem in deſerto & vidi Paulum in paradiſo, & ſic ore compreſſo verberans pectus ex cellula pallium protulit; rogantibuſq́;

busq; discipulis ut plenius quidnam rei esset exponeret, ait: tempus loquendi & tempus tacendi. Tunc egressus foras & ne modicum quidem cibi sumens, per viam qua venerat reversus est, illum sitiens illum videre desiderans, illum oculis ac mente contemplans; timebat enim quod evenit, ne se absente Christo spiritum redderet.

Cumq; iam dies illuxisset alia & trium horarum spatio viam remeasset, vidit inter Angelorum catervas, inter Prophætarum & Apostolorũ choros niveo candore Paulum fulgentem in sublime conscendere, & statim in faciem procidens sabulum capiti superjaciebat, plorans atq; ejulans ajebat: cur me Paule dimittis, cur insalutatus abis? tam tardè notus tam cito recedis? Referebat, postea B. Antonius, tanta se velocitate quod reliquum erat viæ cucurrisse, ut instar avis pervolasset, nec immeritò, nam introgressus speluncam vidit genibus complicatis, erectâ ceruice, extensisq; manibus in altum, corpus exanime: ac primum ipsum vivere credens pariter orabat; postquam verò nulla

ut ſolebat, ſuſpiria precantis audivit, in flebile oſculum ruens intellexit, quod etiam cadaver S. Viri, Deum cui omnia vivunt, officioſo geſtu precabatur. Igitur obvoluto & prolato foras corpore, hymnos quoq; & pſalmos ex traditione Chriſtiana decantans, contriſtabatur Antonius, quod ſarculum quo terram foderet non haberet, fluctuanſq; vario mentis æſtu, & ſecum multa reputans dicebat: ſi ad monaſterium revertar; tridui iter eſt; ſi hic maneam, nihil ultra proficiam, Moriar ergo, ut dignum eſt, & iuxta bellatorem tuum ruens extremum Chriſte halitum fundam. Talia eo animo volvente, ecce leones duo ex interioris Eremi parte currentes volantibus per colla iubis ferebantur; quibus aſpectis primùm exhorruit, rurſuſq; ad Deum mentem ferens, quaſi columbas videret, manſit intrepidus; & illi quidem directo curſu ad cadaver B. Senis ſubſtiterunt, adulantibuſq; caudis circa eius pedes accubuerunt, fremitu ingenti rugientes, prorſus ut intelligeret eos plangere quomodo poterant, deinde haud procul cæperant hu-

mum

mum pedibus ſcalpere, arenamq́; certatim egerentes unius hominis capacem locum effodere, & ſtatim quaſi mercœdem pro opere poſtulantes cum motu aurium, ceruice deiecta, ad Antonium perrexerunt, manus ejus pedesq́; lingentes, at ille animadvertit benedictionem eos à ſe precari, nec mora in laudationem Chriſti effuſus quod muta quoq́; animalia Deum eſſe ſentirent, ait: Domine ſine cujus nutu nec folium arboris defluit, nec unus paſſerum ad terram cadit, da illis ſicut tu ſcis, & manu annuens imperavit ut abirent. Cumq́; illi receſſiſſent, Sancti corporis oneri ſeniles curvavit humeros, & depoſito eo in foſſam deſuper humum congregans, tumulum ex more compoſuit, poſtquam autem dies illuxit alia ne quid pius Hæres ex inteſtati bonis non poſſideret, tunicā ejus ſibi vendicavit, quam in ſportarum modum de palmæ folijs ſibi ipſe contexuerat, ſic ad monaſterium reverſus, diſcipulis ex ordine cuncta explicavit, diebusq́; ſolemnibus Paſchæ & Pentecoſtes ſemper Pauli tunicâ veſtitus eſt.

Libet in fine opuſculi interrogare eos qui patrimonia ſua ignorant, qui domos marmoribus veſtiunt, qui uno filo villarum inſuunt pretia; huic ſeni nudo quid unquam defuit? Vos gemma bibitis, ille naturæ concavis manibus ſatisfecit. Vos in tunicis aurò textis inceditis, ille ne viliſſimũ quidem habuit indumentum mancipij veſtri. Sed è contrario, illi quidem pauperculo, paradiſus patet, vos auratos gehenna ſuſcipiet; Jlle veſtem Chriſti nudus licet, tamen ſervavit, vos veſtiti ſerico indumentũ Chriſti perdidiſtis Paulus viliſſimo pulvere coopertus, iacet reſurrecturus in gloriam, Vos operoſa ſepulchra premunt cum veſtris opibus arſuros. Parcite quæſo vobis, parcite ſaltem divitijs quas amatis. Cur & mortuos veſtris auratis obduxiſtis veſtibus? cur ambitio inter luctus lachrymaſq; non ceſſat? An cadavera divitum niſi in ſerico, putreſcere neſciunt?

Obſecro quicunq; hæc legeris ut Hieronymi peccatoris memineris; cui ſi Dominus optionem daret, multò magis eligeret tunicam Pauli cum meritis ejus, quam Regum purpuras cum Regnis ſuis.

Di-

Dialogismus

Pòétæ cum Corvo panem Sancto Paulo apportanti.

DIcito quid portas gratiosè Corvule? Vates quærit: Niger Ales *prandia parca fero*
Vates: *Cui?* Corvus: *Silvæq; antiq; Priori*
Quis dare quæso iubet fercula tosta Patri?
Æternũ Numen, quod Servos nutrit amãtes
Numinis at quis amans? Paulꝰ Eremicola.
Ergo Deum colit hic validè? colit atq; tonantem.)
Perdius & pernox laudibus astra petit.
Pro tanto quid habet pretij? dic corve labore,
Pro precibus pretium cœlica dona capit
Insuper & panis pastillũ hunc porto famenti
Servus ago Pauli, sed Deus Oeconomus.

RE-

REGULÆ

Magno Antonio primo Discipulo datæ a S. Paulo & traditæ.

POsteaquam Antonius accepisset divinitus monitum, Paulum se meliorem properaret invisere, invento eo in horrida rupis spelunca, ab eo ut Magistro cælitus ostenso, quod verba tot instituti mysteria, quot gesta tot virtutis rudimenta accepit. *Pri-*

Regula 1. *mò* quidem incipit Paulus: *En quem tanto labore quæsivisti, putridis senectute membris operit inculta canities, en vides hominem pulverem mox futurum.* Disce humilitatem Antoni, disce inevitabilem mortis sortem: quia tu-quoque pulvis es, & in pulverem reverteris.

Regula 2. *Secundo* quærit Paulus; *Quomodo se habet humanum genus? An in antiquis urbibus nova tecta consurgant? Quo mundus regatur imperio? An supersint aliqui, qui dæmonum errore rapiantur?* Disce Antoni à *Magistro?* quos in consortio miscere sermones? quas in publico movere quæstiones:

Regula 3. *Quomodo se habet humanum Genus?* Disce Antoni exemplo Christi esse semper solli-

sollicitus in orationibus, meditationibus Vigilijs & mortificationibus pro humano genere, ut se humanum genus bene habeat, ut concordet cum Deo, ejus mandata ad unguem servet, eum ex toto corde diligat: Ecclesiam Sanctam Catholicam cum universis Ordinibus, turribus Apostolorum munitam, ab erroribus Hæreticorum protegat & defendat, ut unum sit ovile & unus Pastor. *Quomodo se habet genus humanum. An in antiquis Vrbibus nova tecta consurgant?* Disce bone Antoni hinc, serijs etiam miscere curiosa nonnunquam, quia intensus arcus facile rumpitur. Disce chare Discipule Antoni, meminisse Romæ, Jerosolymæ, Antiochiæ, Alexandriæ, Corinthi, Thessalonicæ, in quibus nova tecta, nova templa pro cultu veri Dei, summi Dei, ex meis votis, suspirijs, quotidie petebantur, desiderabantur. Igitur quæro optime Discipule, an in urbibus nova tecta, sacra loca, sancta Templa, in quibus Christus ipse Altare, ipse & Sacerdos, in quibus Christus sumitur, recolitur memoria passionis ejus, mens impletur gratiâ, & futuræ gloriæ nobis pignus datur, consurgant? *Quo*

Quo mundus regatur imperio? Disce chare Antoni quærere solerter quæ potestas Christi? quæ potestas mundi? ut scias reddere quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei Deo, Ovis es, ergo Pastorem nosce, universalem nosse oportet. Membrum corporis S. Matris Ecclesiæ visibilis nuncuparis, ergo de visibili Capite, Vicario Christi, successore D. Petri percontandū. Subditus es, ergo cui timorem timorē, cui honorē honorem exhibeto.

An supersint aliqui qui dæmonum errore rapiantur? Si Fili mi Antoni videris aliquem Ebionitam aut Arianum, vel Eutychianum, Nestorianum hæreticum cave, nec ei ave dixeris, fuge; Hi etenim sunt qui Dæmonū errore rapiuntur.

Regula 4. Eja inquit Paulus (*Dominus nobis prandium misit*) *verè pius verè misericors sexaginta iam anni sunt cùm accipio quotidie dimidium panis fragmentū) nunc ad adventum tuum Militibus suis Dominus duplicavit annonam.* Collige Bone Antoni, quam bonus Israel Deus, his qui recto sunt corde. Confide Fili, quære primùm Regnum Dei & justitiam

ejus

ejus & omnia necessaria ad victum & vestitum adjicientur tibi. Si mundus famis tempore unam habuerit buccellam, tecum dividet. Cogita de Deo, & Deus cogitabit de te, quoniam bonus, quoniam pius & in æternum misericordia ejus, Admirare, venerare, adora, lauda, glorifica, age gratias, in abissum humilitatis te projice Antoni.

Diluculo Paulus de morte quæ sibi instaret admonens Antonium hortatur ut pallium quod ab Athanasio acceparat ad involvendum corpus suum afferret. Ecce Magister Paulus! Ecce Discipulus verus Antonius vix mandat Paulus, iter pro apportando Athanasij pallio non tergiversatur Antonius, non disputat Antonius, neq; itineris asperitatem allegat, sed captivat intellectum in obsequium pijssimi Magistri, ibat per devia & invia: o cæca Sancta Obedientia Antonij! Hæ sunt Regulæ traditæ S. Antonio, a pijssimo Magistro Paulo Primo Eremita, quas quod ad unguem observaverit Antonius & discipulis tradiderit, sequentibus manifestabitur. Regula 5.

VI-

VITA B. Antonij
Diſcipuli S. Pauli P. Eremitæ.

Antonius Ægiptius? nobilibus & Chriſtianis parentibus natus, quibus adoleſcens orbatus eſt, cum ingreſſus Eccleſiam ex Euangelio audiviſſet: Si vis perfectus eſſe, vade & vende omnia quæ habes & da pauperibus, tanquam ea ſibi dicta eſſent, ſic Chriſto Domino obtemperandum exiſtimavit. Itaq; vendita re familiari pecuniam omnem pauperibus diſtribuit, quibus ſolutus impedimentis, cæleſtis vitæ genus in terris colere inſtituit. Sed cum in periculosũ illud certamen deſcenderet, ad fidei præſidium quo erat armatus adhibendũ ſibi putavit ſubſidium reliquarum virtutum, quarum tanto ſtudio incenſus fuit, ut quemcunq; videret aliqua virtutis laude excellentem, illum imitari ſtuderet. Nihil igitur eo continentius, nihil vigilantius erat, patientiã, manſvetudine, miſericordis,

dia, humilitate, labore, ac ſtudio divinarum ſcripturarum ſuperabat omnes. Ab hæreticorum & Schiſmaticorum hominum maximè Arrianorũ congreſſu & colloquio ſic abhorrebat, ut ne prope ad eos accedendúm diceret. Humi iacebat cum eum neceſſarius ſomnus occupaſſet. Iejunium autem adeo coluit, ut ſalem tantummodo ad panem adhiberet, ſitim aqua extingueret, neq; ſe ante ſolis occaſum cibo aut potu recreabat, ſæpe etiam biduo cibo abſtinebat, ſæpiſſimè in oratione pernoctabat. Cum talis tantuſq; miles evaſiſſet Antonius, Sanctiſſimũ Iuvenem hoſtis humani generis varijs tentationibus aggreditur, quas ille iejunijs & orationibus vincebat: nec verò frequens de ſathana triumphus ſecurum reddebat Antonium, qui diaboli innumerabiles artes nocendi noverat, itaque contulit ſe in vaſtiſſimam Ægypti ſolitudinem, ubi quotidie ad Chriſtianam perfectionem proficiens, dæmones (quorum tantò erant acriores impetus, quantò Antonius ad reſiſtendum fortior evadebat) ita contempſit, ut illis exprobraret imbecillitatem-

tem: ac ſæpæ diſcipulos ſuos excitans ad pugnandum contra Diabolum docenſq; quibus armis vincerentur: mihi credite dicebat Fratres: pertimeſcit ſathanas piorum vigilias, orationes, iejunia, voluntariam paupertatem, miſericordem humilitatem, maxime verò ardentem amorem in Chriſtum Dominum, cujus unico Sanctiſſimæ Crucis ſigno debilitatus aufugit. Sic autem dæmonibus erat formidoloſus, ut multi per Ægiptum ab illis agitati invocato nomine Antonij liberarentur: tantaq; erat ejus fama ſanctitatis, ut per literas ſe ejus orationibus Conſtantinus Magnus & filij commendarent. Qui aliquando quintum & centeſimum Annum agens, cum innumerabiles ſui inſtituti imitatores haberet convocatis Monachis, & ad perfectam chriſtianæ vitæ regulam inſtructis, ſanctitate, miraculis clarus migravit in cœlum decimo ſexto calendas Februarij.

VI-

VITA
B. Hilarionis Discipuli Sancti Antonij.

POst felicem obitum Sancti Patris Antonii, præcipuus erat B. Hilarion qui Paulinum institutũ primus in Palestinam invexit, vir qui à decimo sexto usq; ad vigesimum septimum suæ ætatis annum solis caricis post solis occasum victitabat. A vigesimo septimo usq; ad trigesimũ herbis agrestibus, & virgultorum quorundam radicibus crudis, donec attritæ vires oleris quid & hordeacei panis exigerent, sustentabatur: mortuus est à decessu Magni Antonij post spatium annorum quindecim, quemadmodum & Antonius à Divi Pauli glorioso funere totidem annis supervixisse vel inde conjicitur: quod eo tempore quo se Antonius morti vicinum agnoverat, duos è schola sua præcipuos Discipulos (quos ante annos quindecim à Pauli Sepultura redux modico intervallo disjunxerat) revocari fecerit, in quorũ præsentia postquam multa de vita

Pauli

Pauli Thæbei imitanda disseruisset, animam tandem in manibus lachrymantiũ DEO creatori innoxiam tradidit. *Athan: in ejus vita.*

VITA
Sancti Macarij Eremitæ.

ALter Magni Antonij Discipulus, magnum Paulinæ Solitudinis lumen Sanctus Macarius, omnium gratiarum ac virtuum Magistri sui Hæres, cujus tanta erat vitæ sanctitas, ut locus ipse, ubi cubare solebat, in virtutis suæ manifestum testimonium cæco visum restituerit. Atq; hic est Macarius ille, non Alexandrinus sed Ægyptius, qui Divum Hieronymum de primatu eremitico Pauli, ut ipsemet in exordio vitæ ejusdem testatur, edocuerat.

Tertius Discipulus Antonij fuit S. Paulus, simplex cognomento, Divi Patris nostri conterraneus, humanorum cordium interpres, Dæmonum terror, mortuorum suscitator, qui simplicitate sua omnem mundi sapientiam confudit.

Cum his tribus nempe Hilarione, Maca-

Macario, Paulo ſimplici ſub ferula Magni Antonij Paulinam eremi ſolitudinē didicerunt: S. Pion, S. Beno, S. Appolonius, S. Piamon, S. Ghronius, S. Pithyrion, S. Iulianus, S. Iacobus, & plures alij quorum virtutes & miracula, Palladius, Rufinus, Hieronymus, Theodoretus, commemorant. Hi omnes iactis à Divo Paulo eremi fundamentis aſceticum ædificium velut ſtrenui operarij ad ſequentis ſæculi ſucceſſores Eremitas continuarunt, quod innuit Ruffinus Presbyter Aquileienſis ſequentibus: *Eo ergo ſæculo florebat Aegyptus, non ſolum eruditis in Chriſtiana Philoſophia Viris, verùm etiam bis qui per vaſtam eremum commanentes ſigna & prodigia Apoſtolica, ſimplicitate vitæ & ſimplicitate cordis faciebant; ex quibus interim, quos ipſi vidimus, & quorum benedicti manibus meruimus, hi ſunt: Macarius de ſuperiori Eremo, aliuſve Macarius de inferiori, Iſidorus de Scythia, Pambus in cellulis, Moyſes & Beniamin in Nitria. Scyrion & Elias & Paulus in Apedioto, alius Paulus in focis, & Ioſeph in Piſpiri, qui appellabatur mons Antonij; ſed & alios quam plures*

bu-

hujusmodi Viros in Aegipti partibus habitare comperimus fideli auditu: hoc Ruffinus. Circa idem tempus floruerunt

S. Timothaeus TIMOTHÆUS & S. Onuphrius, quorum Prior ægiptiæ solitudinis antiquissimus Accola, post gravem carnis lapsum, sui ipsius iudex, in exilium eremi se se relegavit, ubi solis palmarum fructibus & laticis haustu sustentabatur impexis capillorum suorum quasi iubis vestitus, triginta annis eam vitæ asperitatem tenuit;

S. Onuphrius. ONUPHRIUS, veste nudus, pilis hirsutus, circa lumbos tantùmodo herbarum folijs cinctus, solis palmarum fructibus victitans, quos illi arbor duodecies iteratis vicibus per annum subministrabat, & hic quidem in augusto tuguriolo sibi ab Angelo demonstrato, sexginta ipsos annos sanctissimè transigens, per annos triginta sacra Eucharistia quota Dominicâ luce manibus Angelorum refectus est. Apud Surium 12. Iunij.

Post hactenus enumeratos Sanctos Eremitas, venit S. Pachomius, qui cõmmutatâ militiâ mundanâ in spirituale

sub

ſub abbate Palemone vitã anachoreticam profeſſus eſt. Hac iterum relictâ ad clauſtralem tranſijt, & acceptâ ab Angelo regulâ, ſeptem millium Monachorum Pater extitit. Athanaſi9 in vita. Hujus Diſcipuli fuerunt: Theodorus, Ammon, Elias, Ioannes, qui præterquam occulta cordiũ agnoverit, miraculis etiam illuſtris extitit; oleo enim a ſe benedicto viſum fœminæ reſtituit; alteri cuidam ſanitatẽ vitæ, per longas febres, in diſcrimen præcipitatam, obtinuit; aliàs prophetiæ Spiritu afflatus Theodoſio Imperatori victoriam contra Eugenium inſidiatorem auguſtalis coronæ divinitùs prædixit de cujus obitu hæc tradidit Palladius, in Lauſiaca cap. 22. Per triduum nullum ad ſe introire permiſit, ſed poſitis genibus in oratione reddidit Spiritum.

Sub idem tempus Thebaidis eremum incoluerunt *Hor* & *Benus*, *Theonas*, *Ammon*, *Didimus*, quorum Sanctitatem Crocodili, dracones, ſcorpiones & ceraſtæ, indito de ſurſum ſenſu venerati ſunt.

Eodem primo ſæculo per Ægyptũ clariſſimi fuerunt *Appollonius* virtutũ

 meri-

meritis inclytus, *Moyses Æthyops* & quondam latro, dæmonibus æq; ob austeritatem vitæ formidabilis, quam Deo & Angelis ob excelsum vitæ eremiticæ studium acceptus. *Ammon* qui ob raram vitæ sanctitatem ad Infulam suscipiendam à Timothæo Episcopo Alexandrino invitatus, tamen ut eos honores effugeret, rarissimo humilitatis exemplo, auriculam sibi sponte præcidit.

S. ARSENIUS, olim Theodosij, Filiorum, Arcadij & Honorij Magister, post & ipse Pauli Eremitarū Magistri factus Discipulus, virtutibus consummatus, & jugi lachrymarum imbre perfusus, Spiritū Deo reddidit,

S. SENUPHIUS cujus tanta erat miraculorum celsitudo, ut ipsius superhumerali, capucio inquam eremitico, & baculo quo fulciebatur, Imperator Theodosius immanem Barbarorum Exercitum ab urbe Constantinopolitana profligaverit.

S. PAPHNUTIUS cujus memoria quotannis 24. Septem: ex Martyrologio recurrit, ob confessionem fidei, iussu Diocletiani, fatali Palmæ affixus

xus gloriosam martyrij palmam consecutus est.

S. THEREMON prope Thebaidē in Scythia natus, Eremita notissimus, de quo Heraclides & Equilinus referunt: eundem defatigatione continua, sic dorsum incurvasse, ut infantis instar, manibus pedibusq; innixus, quodammodo speciem quadrupedis exhiberet, magis certè eo labore admirabilem se præbens quam imitabilem. Pientissimum hunc Theremonem hac ipsa intercapedine temporis in studio eremitico secutus est re & nomine.

DAVID primum quidem homicida, cum verò & pœnitentiæ singulare Exemplar, Græcus natione, professione Aegyptius, cujus vocationi cum se se vicini Eremitæ opponerent, eo quod illum crudelem Prædonem fuisse inaudiverint, extrema ijsdem ni ad consortium admitteretur fuerat minitatus. Admissus tandem, adeo se gratiosum in conspectu DEI reddidit, ut ab Angelo de remissione suorum peccatorũ certificari meruerit, cujus fidem cum in dubium revocaret, in pœnam incredulitatis

mutus efficitur, verum tamen lingvæ beneficio è cælo donatus, ab eo tempore non nisi divinarum laudum Præco extitit.

Plures alios in eadem Ægypto quà confessione candidos, quà martyrio purpureos vixisse constat Anachoretas, qui ob multitudinem, ab Orosio *lib. 7. cap.* arenæ maris comparati sunt, quorum quia nominum notitiam nobis fama denegavit, in genere de eis mentionem fecisse sufficiat. Atq; hinc apparet, quanta fuerit olim in Ægypto Sanctorum fertilitas, ut *si quis* (cũ Chrysostomo loquor) hom. 8. in Matth. *cap.* 3. *ad illius veniat Solitudines, paradiso quovis omnem illam videbit. Eremum digniorem, & innumerabiles Angelorum cœtus in corporibus fulgere mortalibus. Non itá varijs astrorum choris cœlum refulget, ut Ægypti Eremus Monachorum illustratur habitaculis.*

Eremum Paulinam ex Ægypto transplantatam per S. Hilarionem, in Siria propagavit, *Publius* Anachoreta ex eo memorabilis, quod oratione sua dæmonem, quem Iulianus apostata descendens in Persidem, de

rebus

rebus in occidente actis sciscitatū miserat, decem dierum spacio, velut catenis vinctum detinuerit.

Huc pertinent Eremitæ illi quorum insignem catalogum recenset Theodoretus l. 4. c. 26. Avitus, Martianus, Abrahamus, Agapetus, Simeon, Paulus in Apamensi, Paulus in Zeugmatensi. Acepsimus à sexaginta annis silentiarius in Cyrestensi, Marianus, Eusebius, Annianus Palladius, Simeon, Abrahamus, qui imaginem DEI ad cujus similitudinem conditi erant, integram conservarunt.

S. BONOSUS Puer contempta Matre Sororibus & Germano, sitibundus rerum cœlestium quem admodum Cervus ad fontes Eremi, de latere Domini aquam vitæ bibiturus properavit. Hier. cap. 41. ad Rufi.

S. BASILIUS Magnus, qui quamvis socialis vitæ primus sui Ordinis Fundator extiterit, priusquam tamen Regulam suam in oriente condidisset, & è montibus desertisq; evocatos Eremitas in Monasteria contraxisset, tam per Ægyptum, quam Syriam frequentissimos visitavit, quo-

rum studio inflammatus, atq; in Græciam reversus, idem vitæ genus in se exprimere conatus est. Hoc ipse testatus Epis. 19. *Inveni* ait multos apud Alexandriam, nec paucos apud reliquam ægyptū, deinde & alios è Palæstina quorum admiratus sum, tum in seruanda diæta temperantiam &c. & subdit: cum illa admirarer, vitamq; Virorum illorum ob id beatam judicarem, quod ipso opere se se mortificationem JESU circum ferre declararent, cupiebam & ipse quantum mihi possibile esset, æmulari.

D. GREGORIUS NAZIANZENUS, his verbis à Baronio celebratur: *Quamvis ambo* (videlicet Basilius & Gregorius) *in eadem Pontica degerent solitudine, seorsim tamen ab invicem habitabant instar Monachorum Ægyptiorum.* Ipse enim D. Gregorius fugam suam in Eremum, mellitis hisce jambis prosequitur.

Quid dicam, & omnem quo tibi pacto meū
Pandam dolorem? Pungor his rursus fugā
Conscisco rursus ac celer montem peto
Dulcisq; furtim persequor vitæ genus.

D. Chrysostomus in solitudine positus, præter indefessum orationis studium,

dium, conſctiptioni librorum pariter intentus, varia ſacra Opuſcula, qualia ſunt: *de compunctione cordis: De providentia DEI. De Virginitate: ſex alia contra vituperatores vitæ Monaſticæ, ingenij ſui beneficio procudit, eodemq; labore Deſertum aridum in ſtagna aquarum per fluenta ſuæ admirabilis eloquentiæ convertit.* Annalium Eremi cænobiticorum *cap.* 7.

S. HIERONYMUS Stridone in Dalmatia natus genuinus Divi Pauli Primi Eremitæ Filius, cujus Primatum ſcribens ad Paulinũ Epiſcopũ fortiter aſſeruit & inter principes ſui inſtituti conſtituit, & Eccleſiæ univerſalis conſenſui tradidit ſcribens: *Paulus Thæbeus Author & Magiſter.*

SIMEON STYLITES, perdius & pernox, in columna 36. cubitorũ ſtator, cujus admiranda vivendi ratio, plurimis, an id humana virtute contingere potuerit, dubium facti injecit, quid quid ſit, poſſumus ſæpe multa, quæ longè à viribus noſtris abeſſe putamus, & Deus, qui bonũ facientibus præſto eſt ſua gratia, infirmitatem noſtram, in rebus arduis ſupplere poteſt.

Huc ſpectant ſecundi ſæculi famâ celebriores, Euthymius, Sabas, Ioannes ſilentiarius Geraſimus, Theodoſius, Simon, Daniel Stylita, & Abraham Abbas.

S. AUGUSTINUS. Pater & Legiſlator noſter inclytus, hic ſtatim ad initium ſuæ converſionis, eremiticæ vitæ adamator, in montibus Hetruriæ juxta Centumcellas ſolitudinis ſuæ fundamenta poſuit: ubi etiam librũ de Trinitate ſcribens, viſione pueri cujuſdã, totam maris profunditatem, unicâ eaq; exigua ſcrobe dimetientis, edoctus eſt, eodem ſe labore actumagere, qui immenſum Trinitatis pelagus parvo ingenij ſui alveo excipere adlaboraſſet. Cujus viſionis extare etiam hodie Sacellum, refert P. Cruſenius hac inſcriptione nobilitatum.

Sive Viator es ſive Inquilinus
Eremiticam venerare Domum, venerare ſacellum. (*Auguſtinus*
Vbi præfulgidum illud Eccleſiæ Lumen
Egregium de Trinitate inchoavit opus.

Hoc tanto Eremita Ordo noſter candidus, eo magis ſibi gratulatur, quia eundem hoc vitæ propoſitum, non a-

li-

liunde quàm exemplo D. Pauli & Antonij arripuisse constat; quod ipsum ex verbis ejusdem argumento nobis esse potest, cum dicit (serm. 40. ad Fratres in eremo) *Excelsius eram & impius super omnes coætaneos meos, & ecce accessit ad me Mater pietate plena prædicans vitam & exempla Sanctorum Patrum Pauli & Antonij.* Quâ confessione non obscurè indicare videtur se nimirum utriusq; Eremi Principis exemplo, non tantùm ad fidem orthodoxam, sed etiam ad similem cum ijsdem vitæ solitariæ ineundam rationem fuisse sollicitatum. Et quidem aliunde ex Baronio (ad an. 385. num. 1.) liquet, hunc Doctorem lectione vitæ M. Antonij perfectè ad Christum conversum esse; quis ergo dubitet, eundem pariter ad illius imitationem inflammatum? ut mirum non sit præfatum Doctorē gloriari (serm. ad Fratres in eremo 3.4.5. & alijs) se Asceteria plura habuisse in quibus multis annis Monachi modico pabulo contenti hilariter commorabantur bestijs associati avibus ministrati. Baron. ad an. 385.

S. JACOBUS EREMITA qui cũ aliquando hostilibus stimulis carnis eundem compungentibus, turpiter succubuisset, pudore suffusus simulq; facti pœnitens, voluntarias à seipso pænas, sepulchro velut carcere inclusus exigebat.

S. BENEDICTUS. Monachismi per occidentem Fundator. Posteaquam quartum decimum ætatis suæ annum complevisset, relicta gentilitiâ Domo in asperam sylvam (quæ etiam nunc Sublacensis vocatur) quadraginta milliaribus Româ dissitam penetravit. *In hanc recessit* (ait S. Greg. l. 2. Dial.) *scienter nescius, & sapienter indoctus, alis columbinis sublevatus, quibus è luto sæculi in purum contemplationis aërem evolavit* & in fovea tribus annis seipsum Deo & Angelis spectaculum præbens 1. à S. Romano quemdamodum olim Daniel in lacu leonem à Propheta Habacuc, subinde frustulo panis per funem dimisso admodum parcê est sustentatus; mansurus ibidem diutius, nisi lumine cœlesti proditus, positus fuisset in excelsum extra modium super candelabrum ut luce ipsius universus orbis frueretur,

MARINUS, quem secutus est Ro-

mualdus, floruit ſanctitate in partibus Venetorum.

S. ROMUALDUS è Monaſterio Claſſenſi in eremum ſecedens ſuo exemplo viros Nobiliſſimos, quos inter Petrus Urſeolus Dux Venetiarũ, & Joannes Grandenus Patritius Ordine dignitatis eminuêre, ad idem inſtitutum pertraxit. Circa Annũ 977.

S. GULIELMUS Dux Aquitaniæ. Princeps verè pœnitens, auſteriſſimum vitæ genus, & Chriſtianæ perfectionis verticem arripuit. Hic ad nudam carnem ferrea lorica contectus ſtupendũ auſteritatis exemplum in tanto Principe merito admirandum edidit.

BENEDICTUS, JOANNES, MATTHÆUS, JSACUS CHRISTINUS, gloriam eremi Paulinæ intulerunt in Poloniam, Cromerus lib. 3. de rebus Poloniæ. De quo & Paulinus Klodawſki Th. Doctor Provincialis Pol. facit mentionem in ſua Epitome cap. 2. § 10. Erant illi D. Adalberto Archiepiſcopo Pragenſi peregrinationis Comites, eo tandem in Pruſſia agone martyrij conſummato, in vaſta ſolitudine majoris Poloniæ ad oppidum Caſimiria di-

dictum ſequeſtrati nonnihil ab invicem conſederunt. Ibidemq́; orationibus, ſilentio, vigiliis, tantum inſuper jejuniorum conjungentes, ut nonniſi ſemel in hebdomada, oleribus, & crudo pane, fonte etiam non nihil adhibito, genio ſuo indulſiſſe legantur. Rerum eo tempore in Polonia potiebatur Boleſlaus, vel quod probabilius Mieciſlaus Princeps, hic quo auguſtiorem poſteris Provinciam relinqueret, ſibiq́; nomen primò coronati Ducis, compararet, evocatis ex Eremo illa Benedicto & Ioanne, negotium accipiendi Romæ à Sylveſtro Pontifice Regij diadematis, ac in Poloniam ſecum deportandi, committit. Qui, ut Petrus Damiani in vita S. Romualdi his verbis recitat: *aſſenſum Regiæ petitioni penitus denegantes dixerunt: Nos in ſacro inſtituto poſiti ſumus, tractare nobis ſæcularia non licet negotia, quibus dictis, ad cellas eremitorias reverſi ſunt. Quidam vero agnoſcentes Regis conſilium, ſed quid Sancti Viri reſponderint ignorantes, copioſum auri pondus, quod mittendum Vicario Chriſti fuerat, ſecum illos detuliſſe, opinati. Prædones igitur ea occaſione, conventione*

ne

ne facta noctu Eremum illorum ingressi, ut asportata pecunia Sanctos illos Monachos interficerent. Quod cum Beati illi præsensissent, agnitâ aduentus illorum causâ Confessionem inter se fecêre, ac S. Crucis vexillo se munire cœperunt. Fures verò extractis gladijs pariter omnes interfecerunt. Hæc Damianus.

S. ANDREAS ZOERARDUS natione Polonus Eremum Paulinam in Hungariam invexit Anno Salutis Millesimo Nonagesimo. Spiritu Sancto impulsus *ex rusticitate* B. Mauri Quinqueecclesiensis Episcopi *quasi rosa ex spinis ortus Eremiticam vitam è Polonia, qua prognatus fuisse dicitur, in Hungariam transtulit, eamq; in Nitriensi Territorio, ad finem vitæ magno abstinentiæ rigore & miraculorum frequentiâ consummavit*, quadragesimale enim tempus, sicut olim Zozymas quadraginta dactylis, ita Zoerardus totidem nucibus transegisse scribitur; is quanquam viribus ob inediam deficientibus, mortuo similior quam vivo putaretur, tantùm tamen abfuit eum corpori licentiam quandam indulsisse, ut potius inaudito stratagemate, in media spelunca truncum quercinum primum sepibus cin-

cinxerit, cui deinde paliuros & arundinum aculeos infixit, ut si forte corpus sopore gravatum quamcunq; in partem declinaret, illis ipsis aculeis sauciatum evigilaret. Sed & coronam ligneam quaternis lapidibus inde suspensis venerando capiti superimposuit, ut si forte sopitis palpebris nutaret in partem, duris lapidibus concuteretur; quem usq; rigidum vivendi modum admiratur B. Maurus Quinq; Ecclesiensis Episcopus: *O Beati Viri merces quæ in cælo compensat quod in terra graviter emptũ! fuerat inauditũ genus confessionis, quod pretiosius facit genus promissionis non cibus non requies auferre potuit vanà dulcedine vitam æternitatis.* Mortuus tandem in dicto Territorio Nitriensi, ad ædem S. Emerami sepultus miraculis clarere non desijt, in cuius corpore catena ferrea inventa, quæ cute foris obducta, & putrefacta intus carne ipsa viscera attingeret, quod martyrij genus nisi ad umbilicum ligati metalli nodus aperuisset omnibus mansisset incognitum soluta verò catena dum corpore extraheretur elisarum cum violentia costarũ sonus audiebatur, Servatur hucusq; in

in Basilica Cathedrali Nitriæ memoria ejusdem Sancti una cum catena & bacillo globatim inciso, quo idem Rosarij loco utebatur. Miraculis post mortem non minus illustris, quam morum sanctimonia dum viveret clarus extitit; præterquam enim quod plurima per eundem operatus est Omnipotens, duo memoratu dignissima, quæ de latronis resuscitatione, & patibularij cujusdam vitæ conservatione circumferuntur, recensenda veniunt. Primum sic contigisse referunt.

Dũ enim aliquando prædones in proximo ibidem saltu confflicturi ad arma prosilirent; quidam ex infami illa tribu graviter sauciatus & paulò post mortuus, ubi ad cellam dicti Sancti adjumento sociorum delatus esset, extemplò redivivus surrexit, & fugientes præ terrore socios insecutus clamabat; Nolite Fratres formidare, sed nec fugere. S. enim Zòérardus à morte me ad vitam suscitavit, illis tanto magis stupentibus, & ut discederet rogantibus, dixit: se nunquam ab eo antro discessurum, sed ibidem Deo, & B. Zòérardo reliquum vitæ, in gratitudinis Sym-

bolum & accepti beneficij obſequium dedicaturum: fecit igitur quod ſpopondit, & uſq; ad obitum inde nunquam receſſit. Eliſæi Prophetæ merita adæquaſſe videtur hic Sanctus, in cujus ſepulchrum projectũ à latronibus cadaver, ubi oſſa Prophetæ attigiſſet, repentino miraculo revixiſſe, Scripturæ teſtimonio perhibentur. Fertur in ejus ſpelunca quotannis niſos reperiri, aliquando etiam captum, qui nolæ à ſe pendulæ inſculpta Turcarum Imperatoris inſignia geſtaverit, probabile ad demonſtrandum loci illius ſanctitatem, Deum adjumento brutorum animalium, homines quandoq; edocere, quemadmodum mediante bove, montis Gargani D. Michaelis patrocinio dedicati, ſanctitatem demonſtrare voluit.

Alterius miraculi ſeriem ita recenſent: In Civitate Nitria, quæ diſtat à Spelunca S. Zòérardi mediâ leucâ, à Monaſterio verò noſtro de Eleſſant ſemi hora, reus quidam laqueo adjudicatus eſt, hic pronuntiatâ mortis ſententiâ nomen Zòérardi in ſuffragium vitæ iterum iterumq; ingeminabat; factũ ut miſer

inſtan

instante lictoris ministerio subleva-
retur in furcam; hic B. ille Clien-
tis sui curam agere, manibus su-
stentare corpus, opeq; invisibili, ne
moreretur, adesse periclitanti, quo-
usq; tandem funestæ tragediæ spe-
ctatores, opinione mortis delusi, di-
scessêre, quem deinde sua manu
solutum libertati restituit; quod ipse-
met postea periculo illo liberatus,
ingenuè confessus est.

S. BENEDICTUS Discipulus
S. Zoerardi, natione Hungarus, à
Latronibus juxta fluvium Vagh ju-
gulatus, cujus venerandæ Reliquiæ
in eundem fluvium projectæ, & per
annum ferè quæsitæ, nec inventæ,
donec indicio aquilæ in ripa seden-
tis, de ijsdem certiores efficerentur;
quas ubi extraxissent, omnis corru-
ptionis expertes, undequaq; depre-
henderunt. Utriusq; Natalem sub
titulo Eremitarum universa Hun-
garia 17. Iulij, ritu semiduplicis
officij religiosè colit.

MATTHÆUS ESCANDELI, na-
tione Hungarus, Civis Budensis, Re-
gni Apostolici summa gloria, cuius
gesta alteri, quam huic nostro Or-

bi notiora sunt. Hic post accensum sub Stephano primo Rege Hungariæ Evangelij lumen, cum ardorem fidei plurimorum religiosè contineret, singulari desiderio invisendæ Palæstinæ accensus, Hierosolymam abijt. Cumq; omnia loca vestigijs signata Redemptoris adorasset, amore solitudinis captus, in recessus Montis Syon se se abdidit, & Eremitico, quod anteà forte in Hungaria exercuit, per aliquot annos vacavit Instituto.

Morabantur per id temporis in Hungariæ desertis plures Eremitici Nominis Viri, qui auditâ Escandelij gentilis sui famâ, Hiersolymâ abeuntes, ejus sub tyrocinio Eremiticæ vitæ jura ac sanctiones percipiebant; post gloriosum verò B. Escandelij agonem, alijs alijsq; ex Hungaria eo proficiscentibus, ubi ad Annum 1215. vitam eremiticam in Coenobiticam transisse intellexissent, & ipsi Gentilium morum exemplô relictis antris & specubus, sociali vitæ manus dederunt, amploq; Cœnobio, nisi quod jam antiquitate in ruinam prono inclusi, cœnobiticam professi sunt. Je-

Joannes Zualardus non unum desuper reliquit testimonium in libro suæ peregrinationis Hierosolymitanæ An. 1512. edito, folio 246. Qui post descriptionem montis Thabor & trium Tabernaculorum Salvatoris, Moysis, & Eliæ, Italico idiomate, hæc subjungit: *Fuit etiam magna Ecclesia fabricata per S. Helenam cum uno Monasterio bene dotato à Serenissimo Rege Hungariæ, quod inhabitabat magna multitudo Monachorum Hungarorum Ordinis S. Pauli P. E.* (Videtur autem Rex ille fuisse Andreas Secundus, dictus ideo Hierosolimitanus, quod in terra sancta adversus Babylonicum Soltanum gloriosas victoriæ palmas sæpiùs retulerit, innuente hoc Stephano Verbeycio par. 2. Trip. tit. 14. his verbis: *Hujus Andreæ privilegium in monte Thabor, ubi Dominus & Salvator noster transfiguratus fuerat, super quadam possessionaria collatione emanatum & confectum habetur in Comitatu Hontensi.*)

Finita parenthesi, ad Escendelium redeamus. Hic ubi in montis prædicti recessibus, aliquot annos exegisset, interea DEO plenus, urgeba-

tur charitate subveniendi illis, qui in tenebris infidelitatis cœcutiunt, votóq; conceptô, Evangelij propagandi causâ ad Indos contendit, nec longo minùs, quàm laborioso terrâ mariq; circumflexo, in Sinarum Regnũ penetravit. Hic DEI Regnum instauraturus, vitæ sanctitate, prædicationis efficaciâ, & miraculorum multitudine, plurimos convertit, adeoq; altè radicem fidei in illorum animis egit, ut nulla jam deinceps potuerit evellere superstitio. Inter innumera miracula, quinq; mortuos ad vitam revocavit. Cumq; majori in dies corruscaret sanctitatis famâ, eoq; plures depressa à se Boicorum superstitione lucrifaceret, insidijs eorundem appetitus, ac tandem circumventus, lanceis confossus, illustris martyrio, vitæ coronidem imposuit! Ejus memoriam etiamnũ Incolæ, præclara Religionis ab eo traditæ confessione venerantur; quemadmodum Joannes Lucerna *lib.* 10. *cap.* 22. *&* *Petrus Iarricus li.* 4. *cap.* 6. *uterq; Societatis IESV, in suis orientalis Indiæ Historijs constanti Lusitanorum fide scriptis edidêre.* Nempe

cum

cum ex his Captivi quidam à Sinensibus abducerentur, & in interiora Regni penetrassent, conspexisse eos ad oppidum quoddam, erectam è lapide Crucem, quam debita veneratione prostrati adorabant, quod cum animadvertissent Incolæ, & ipsi protinus in genua se se demittentes, crucem pari religione coluerunt, & osculati sunt, captivosq; Lusitanos in oppidum deduxerunt, & eximia charitate necessaria vitæ subministrarunt. Quibus ad invicem jucundè de fidei sibi traditæ initijs fabulantibus, liber prolatus est patrio typo exaratus, (ducentorum annorum vetustatem is superabat) in quo luculenter Articuli fidei à dicto B. Matthæo traditi legebantur, cui soli post DEUM Religionis suæ auspicia referebant in acceptis. Ex quibus facilè quivis agnoscere potest, quantum inde sanctitatis in Ecclesiam, quantum inde honoris in Apostolico Regno Hungaria protulisse, nimirum circa Religionis primordia ejusmodi virum, ac simul Anachoretam Hungarum, qui Viris Apostolicis, diversis temporibus in Re-

gna Synarum penetrantibus, non minimo intervallo temporis succesſit, & extinctum Evangelij lumen poſt diuturnam prædicationem, ſangvine etiam fuſo reſuſcitavit; ut non immeritò lautius in Orthodoxa Eccleſia, ſed & Regno Hungariæ, maximè verò in noſtro Ordine Protoeremitico, ſolenni commemoratione æternùm celebrari deberet.

S. GUNTHERUS, Hunc ferunt apud Thurogos Regiâ ſtirpe oriundũ. Regis etiam Stephani cognatum (id fuit ratione ſangvinis Giſellam S. Henrici Imperatoris Sororem & S. Stephani Conjugem contingentis) quem cùm ex Ephæbis egreſſum vitæ religioſæ teneret deſiderium, vocatis in conſilium cogitationibus, præſentia omnia faſtidire cæpit, cælumq; toto haurire pectore; itaq; abijt in Cœnobium Benedictinorum, & à S. Gothardo in Boicis Antiſtite animatus, ingentes in curriculo virtutis fecit progreſſus, ut paulatim in magnam ſanctitatis opinionem devenerit. Id ubi S. Rex Stephanus famâ accepiſſet, cupidus Guntheri co-

cognati coram ſpectandi, legatos miſit, qui ſignificatô Regiæ benevolentiæ affectu invitarent in Panno-niam; quorum petitioni, iterum iterumq; in vota ſolicitatus, tandem ceſſit, ac ſe cum ijſdem legatis in viam dedit; exceptus à Rege omni humanitatis officio, regiſq; epulo aſſidens, à carnibus omnino abſtinuit; rogatus tamen iteratis precibus à Rege, ut aliquid ex pavone appoſito deguſtaret, negavit ſe id facturum, ſtatimq; arreptô pavone, DEI omnipotentiam provocabat, quatenus ſine offenſo Regis, avis illa reviviſceret; factum eſt; nam protinus rediviva volucris à patina ingenti prodigio avolavit. Videbatur autem Vir Sanctus in aula Regis verſari ſæpiùs, ut pote, cui S. Stephanus curam Regni ſui demandavit, ſive propinquitatis reſpectu, ſive quod multum ſanctitati & pietati illius tribueret, hinc ferme omnes theſauros regios, in neceſſitates pauperũ, in fabricas Cænobiorũ, approbanti idipſum Rege, erogabat. Ad cujus nutum (ut ſcribit Certnitius) etiam inchoavit Rex Monaſterium dictum Beel, cir-

ca

1030. ca annum 1030. Multisq; bonis locupletavit, donec post toties visitatos Regni Hungariæ limites, post salutatum sæpius Regem, tandem in saltu Narvaldensi seu Rimnacensi, viginti ab Urbe Pragensi stadijs stabilem sedem fixit, institutum Ereminicum ad finem vitæ producturus. Ibidem pridie mortis suæ, à Beliolao Principe inter venandum occasione cervi illuc fugientis deprehensus, rogat post multa familiaritatis officia, corpusculum suum Braynoviam, ubi prima vocationis suæ rudimenta acceperat, deferri mandet, atq; ita postero die per manus Severi Antistitis Pragensis Sacro Viatico, impertitaq; benedictione, inter lachrymas & vota præsentium, horâ, quam prædixerat, tertiâ, Die nonâ Octobris Anno 1645. in Domino obdormivit.

S. GERARDUS, Hic devotionis gratiâ, suscepto itinere per Hungariam, Hierosolymam petiturus, ad sylvam Beel agri Dubensis contendit, ubi integro Septẽnio in Eremo, velut in cellã vinariã à Spiritu S. perductus, continuis divinarum rerum contem,

templationibus, inebriabatur ab ubertate Domus DEI, & torrente voluptatis potabatur, usq; dum illum Rex Beatus ab Eremo revocatum, Chanadiensi Infulâ decoraverit, & ut populo prædicaret, tanquam Apostolicus Rex, pro Apostolo Hungariæ destinaverit.

S. VACIUS EREMITA, præclarus Hungarus, Christianis ortus parentibus, & secundùm sæculum satis clarus *Vacz* dictus, ab annis adhuc puerilibus ob amorem cœlestis Patriæ vitia vitare, & virtutes sequi studebat. Qui cum adolevisset, timens sibi, né se aliena malitia ab ingenita probitate subverteret, pravorum sodalitia tanquam perniciosam Salutis suæ pestem fugiens, advenit in quoddam desertum circa littus Danubij, non procul à Viszegrad, & ibidem faciem solotenus procidens, oravit Dominũ dicens: *Omnipotens, DEVS, qui occultorum es cognitor, scis, quia nihil eorum, quæ sunt in hoc Sæculo tuo præpono amori, propter quod obsecro, ut voluntatem meam dirigas, illuminans animam meam miseram, ne in æterna morte peccatis conte-*

ne-

nebrata obdormiat, sed redempta tuo munere, te per omnia collaudet & glorificet. Et hæc orans ibidem per certos annos omnibus pretiosis & delicatioribus abstinens, in arctissima pœnitentia permansit. Floruit hic (iuxta Melchiorem Inhoffer) plusquàm centum annis. Cum igitur eo in loco aliquamdiu corpore terris, animô cœlis inhæsisset, plurimosq; mortalium in recondita illa orbis tellure curiosos sanctitatis suæ inspectores attraxisset, veritus, ne inanis gloriæ ventô omnis ea sanctitas abriperetur in diversum, coacto in animo senatu, deliberavit stationem illam immutare, & in profundiore sylva, in Pilisia dicta, reliquum vitæ, inter degustatas cœlestium contemplationum delicias traducere; fecit, quod voluit; nec ideo tamen omnem aditū ad se venientibus præcludere potuit, quippe qui priori in loco virtutis succinô rariores ad se attraxit, jam hic consummatô sanctitatis magnete plurimos ad sui desiderium allexit, quos ille suo exemplo ad renunciandum sæculo, & simile vitæ austeræ institutum amplectendum, sibi in tyroci-

rocinium subjecit. Vixit eo in loco pluribus annis, tandem cum opinione sanctitatis cursum anachoreticæ conversationis consummavit. Illiùs patrociniô in loco mansionis suæ, Geysa & Ladislaus Fratres, contra Salomonem Regem, amplissimam victoriam reportarunt, cui paulò antè cœlesti prodigio Angelus prælusit, qui vidente Ladislao, Fraterno capiti aureum diadema, futuræ felicitatis omen superimposuit. Nec Geisa accepti beneficij immemor, obtentâ victoriâ cum ingenti Basilica civitatem eo in loco condidit, cui in perenne tantæ gratiæ monumentum nomen VAEZI indulsit.

SALOMON REX Hungariæ, postquam cladem à Geysa & Ladislao passus esset, (ait Bonfinius) pro trabea cilicium, pro purpurato strato frondes aridas, pro epulis regalibus baccas & glandes, pro syrmico sæpe vino, palustrem aquam, & pro frequenti stipatorū manu commutavit Solitudinem, in eâq; salubriorem quietem, quam in regno, invenit, Colomani Regis tempore, semel tantùm in Hungaria visum per-

perhibent, & è vestigio delituisse, nec unquam amplius apparuisse. Ad postremum in sylvis Istriæ degentem, in DEO obdormivisse memorant, ac Palæ sepultum.

S. BARTHOLOMÆUS Episcopus Quinque Ecclesiensis, postquam probatissimis vitæ Anachoreticæ Institutis Majores nostri per Hungariam, velut lilia inter spinas solitudinis diffusi, odorem sanctitatis in finitimas Urbes & oppida emisissent, illius suavitate captus, vel tunc vaticinio Isaiæ dicentis: *Solitudo quasi lilium*, credendum ratus, ut illos flores, qui apparuerunt in terra Diœcesis suæ, oculis videret, montes & sylvas Quinq; Ecclesiensis Territorij, & in ijs Eremitarum inhabitantiū gasas, recessus, & antra, Pastoralis Officij zelô quàm studiosissimè perlustrabat. Cumq; inspectâ hominum illorum vitâ, sanctitate, assiduisq; cum labore manuum, & extrema paupertate precibus, cœleste illud Institutum primùm quidem mirari, pòst illud etiam approbare pergeret, volens tanquam thesaurum in sylvis suffossum cum usura sanctitatis, in publi-

co fructificare, etiam atq; etiam Viros illos obtestatus aliorum utilitati pariter studeant, nec ampliùs sub modio privatæ solitudinis, sed super candelabrum in publico cætu, suo exemplo luceant omnibus, qui in tenebris ignorantiæ, & peccatorum caligine cæcutiunt. Tum verò voti compos, dispersos congregare, eisq; Monasterium & Ecclesiam sub titulo S. Iacobi in Patach extruere, paupertati eorum annuis reditibus obviare, regulam communem præscribere, omnemq; cœpit movere lapidem, quatenus cum vita communi privatam illam, inter preces & labores manuum olim traductam continuarent. Atq; hoc primum Paulinorum est Monasterium sub gloriosissimo Hungariæ Rege Andrea Secundo, in Territorio Quinque Ecclesiensi. Anno partæ salutis 1215. Idem Pientissimus Episcopus Bartholomæus pro vivendi norma, talem Fratribus nostris reliquit Literam:

Bartholomæus DEI volantate Episcopus Quinque Ecclesiensis Eremitis in Patach Salutem.

CHarissimi mei Fratres, simul in Domibus communiter vivant, de labo-

laboribus manuum suarum & reditibus vitam transigant mediocrem, Ecclesiam devote frequentent, humilem ac simplicem habitum statui eorum deferant congruentem, Canones & Decreta Patrum diligenter custodiant, virtutum & devotionis studijs solerter insistant, & non solùm irreprehensibiles, verum etiam exemplares se alijs exhibeant, ut sic possint DEO gratum & acceptabile servitium offerre: Non solùm suâ bonâ conversatione, sed etiam de aliorum, quorum corda per eorũ monita compungi dignabuntur, conversione & salute. Atq; ad hunc modum proficiendi se se accingentes, omnia eorum Exercitia, ut puta orationes, meditationes, lectiones, vigilias, jejunia, exercitationes, opera manuum, & compositionem tam exterioris, quàm interioris agant ad hunc finem: ut sic directâ viâ ad charitatem & gustum æternæ sapientiæ, faciliùs & commodiùs pertingant, præstante Domino Nostro JESU Christo, qui consolari dignetur eos in omnibus operibus pœnalibus. Amen. Dum igitur Neoclaustralis

Ere-

Eremus in Patach & studio contemplationis, & labori manuum sedulò insisteret, interea Beatissimus Fundator Bartholomæus Episcopus Quinq; Ecclesiensis moritur, præmium suæ erga nos munificentiæ in cælis recepturus. Paulò antè substituto novello Gregi Fratre *Antonio*, Viro non minus è diligentia in providendo, & aptitudine gubernandi, quâm probitate morum commendatissimo. Cui successit in Prioratum F. Ioannes. Sub id plane tempus, quò S. Dominicus & Franciscus fundationum suarum apud Sedem Apostolicam causas egerunt.

ANTONIUS EREMITA PRIMIPILUS, seu Primus Prior primi Sacri Ordinis S. Pauli Primi Eremitæ in Patach Monasterij. Antequam Divus Bartholomæus Episcopus spiritum coelo daret, ne ovile, quod ipse solus pascebat per annos complures, absq; Pastore maneret, probatum habens per multa argumenta Fratrem Antonium, illum Successorem reliquit gubernio Gregis Paulini Bonorumq;. Cum verò Frater Antonius rationabiliter pertimes-

see-

ſceret,né forte decurſu temporis modica illa hæreditas jacturam pateretur, & deficiente quali quali proventu Angelicus ille clauſtralium Chorus, quoque modo dilaberetur, Achillem Epiſcopum modeſtis precibus compellavit, ut creſcenti illi puſillo gregi, non tantum patrocinio adeſſet, ſed & hæreditate; Audijt Antonium pro ſua reverentia Achilles, ac æquitate poſtulatorũ inſpecta, rem aggreſſus, prius Antonij votis annuere viſus, antequam opus ex DEO cœptum ad ritè promovendum in reliqua ſubſecuta tempora cognoviſſet. Adfuit cœleſte Numen Paulinorum cauſæ. Poſtquam enim Achilles ardorem in oratione, ſimplicitatem in moribus, laborum ſedulitatem, animorum concordiam, ſilentij ſtudium, & ſimiles pietatis exercitationes in Primigenijs illis Cænobiis vigere deprehendiſſet, inſtinctu Spiritûs Sancti poſtulatis Antonij, quoad omnia ſe facilem ultro exhibuit, collaudatoq́; Inſtituto, pro parte Clauſtri Patachiani, tandem, & publicum Inſtrumentum in forma Privilegij confici demandavit; ubi

cum

cum ſub ſcriptione nominis, clarum perhibet teſtimonium quatenus illi controverſiæ diſtingvendorum limitum ſcopulorumq́; erigendorum fide digni homines viſis terris, pratis, vineis, ſylvis & alijs attinentijs (memoria Privilegij in præſenti, exiſtente) juxta æquitatis legem fines imponerent: quo negotio ad eum modum finito, tam Achilles Epiſcopus, quam Frater Antonius non multo poſt ad meliorem vitam tranſierunt.

F. JOANNES PRIOR SECUNDUS PAULINORUM CLAUSTRALIUM. Cum Frater Antonius debitum mortalitatis exolviſſet, in locum ipſius ſucceſſit Frater Ioannes qui dicti Conventûs S. Iacobi in Patach exemplo ſui Prædeceſſoris curam gerens, negotium circa Bona Conventûs cum Ladiſlao Epiſcopo Succeſſore Achillis, anno Salutis 1252. innovavit, impetrataq́; confirmatione, robur firmitatis, conſignatis actis publicis, tranſactioni huic attribuit: quibus in literis, Fratres noſtri in ſancto illo Collegio, non jam Solitarij Anachoretæ, ſed Fratres Ordinis S. Pauli Primi E-

 remi-

remitæ publico titulo nuncupati sunt. Quamvis & ante hoc nomine vocarentur.

B. EUSEBIUS Strigonij in Hungaria nobilibus & Christianis Parentibus natus, unâ cum lacte materno Christianam suxit pietatem, ut planè ab ipsis incunabulis non exigua futuræ probitatis proderet argumenta. Adolescens literis humanioribus liberalius cæteris excultus, eo in studio, iam solitariæ vitæ conversationes Coætaneorum fugiendo præludisse videbatur, indecens ratus, inter Socios lusibus & jocis, otio, ventrisq; ingluvie primam ætatem auspicari, qui à Jeremiæ thren. 3. didicit: *Bonum est Viro cum portaverit jugum ab adolescentia sua,* Quo circa quot quot illum viderant, in magnum sanctũq; virum non vanis indicijs evasurum ominabantur. Stetit hæc opinio hominum etiam dum pubertatis annos ingressus Eusebius, quo tempore recentissimus sangvis licentioris vitæ admonere solet juventutem, ille tamen, sivè ingenitâ bonitate, sivè vi naturæ illata lilium innocentiæ inter spinas voluptatum, eó semper cando-

candore, intemeratum conſervavit, quouſq; proceſſu ætatis in Album Canonicorum Metropolitanæ Strigonienſis Eccleſiæ, non minus naralium ſplendore, quam literarum, ac vel maximè pietatis calculo inſcriptus fuit. Quamvis à quibuſdam Authoribus ejuſdem Eccleſiæ Archiepiſcopus fuiſſe referatur. Quod licet Ordini noſtro non modicam gloriæ acceſſionem faceret, quia tamen priori veritati omnes ſubſcribunt, huic opinioni facilè præjudicatur, cum aliàs in Albo Archipræſulum Strigonienſium nomen Euſebij non inveniatur. Qno in munere tantò erat temperantiæ, verborum parſimoniæ, caſtitatis, ac humilitatis ac operum miſericordiæ ſtudioſior, quantò ſe à vita ſæculari remotiorem, adeoq; in ſtatu Eccleſiaſtico; ad exercitia pietatis obligatiorem eſſe deprehendit; præter indefeſſum orandi & meditandi ſtudium, quotidiano Miſſæ Sacrificio, DEUM ſibi demereri ſtuduit, cujus honori ac beneplacito ſe, ſuaq; omnia, quàm ſanctiſſimè dirigebat. Erga Chriſti pauperes ea ſemper fuit liberalitate, ut

commune quid fortunarum cum ijsdem habere videretur, meliorem esse ratus fortunam dantis, quàm accipientis, quamvis apud avaros melior esse conditio possidentis videatur. Hinc factum ut ad Eusebium velut paupertatis asylum è sylvis Eremicolæ, aut eleemosynæ accipiendæ gratiâ, aut distrahendi laboris, sæpius ventitarent; quos ille & humaniter intra limina Domus recipere, & perbenignè alloqui, tandem & curiosiùs percontari cæpit; Cujates essent? Quod vitæ institutum ducerent? Qua ratione tam insolitum vestimenti genus, tam exanguem in vultu maciem, tantam in incessu humilitatem præseferrent? Quorum ut ille vitæ sanctimoniam ex verborum simplicitate, compositione membrorum, corporisq; cultu perspexisset, continuò sibi imaginabatur eosdem oculis suis obversari, qui dicente Paulo quondam. *Circuierunt in melotia in pellibus caprinis, angustiati, afflicti*, cum quorum tamen dignitate nec totus mundus certare posset. Jlli interim in feracem Anachoretarum antiqvorum Ægyptum vocem & manum

num intendentes, plura elogia in laudem ſolitudinis coram Euſebio ingerebant. D. Paulum Thebæum inſtituti hujus Principem, Jlluſtratorem Antonium, Macarium, Hilarionem, Iulianum, & plures alios identidem ingeminantes, revocabant pariter in memoriam Eremiticæ vitæ per Hungariam Fundatores Zoerardos, Benedictos, Gerardos, Vacios, Salomones pænitentiæ & auſteritatis viva aliquando exemplaria, quorum omnium veſtigijs inſiſtentes, quaſi digito ſolitudinis dignitatem indicabant. Non poterat non cor Euſebij ad bonum aliunde non difficile his auditis commoveri, ergò dimiſſis cum largiore ſtipe viris totus deſiderio ejuſmodi vitæ accenſus, poſt iteratas animi recollectiones, & ipſe jugo Chriſti collũ ſubmittere meditabatur. Et quamquam protinus plurimorum in contrarium obnitentia audiret vota, ipſe tamen Spiritu divino abſorptus, ne tantillũ de ſententia animo ſemel concepta, deflexit; & jam jam meditatum opus effectuaturum, dum Archiepiſcopi ſui præſtolatur aſſenſum, ecce ad An-

num Christi 1241. ex inopinato gens Scytharum crudelissima, quos Tartaros communiter vocamus, cũ quinquies centenis millibus hominum in Hungariam irrupit, totoq; Regno peragrato, civitatibus universis, alijs spoliatis, alijs igne succensis, funestissimum Troiæ excidium, mæstis spectatoribus velut in theatro exhibuit. Quæ B. Eusebium, quo minus pijs affectibus suis secundaret, & monasticum institutum inter deserta solitudinis auspicaretur, remorata sunt. Donec tandem tempestate mitigatâ, & ipse antiqua sua desideria, quasi jam in cineribus sepulta resuscitare cœpit, aditôq; Metropolita Strigoniensi, dignitatem Cathedralem suis cum proventibus, in sinum ejus refundens, humiliter postulavit, quatenus Libello Missionis accepto, ea sibi daretur facultas, cum animo nunquam amplius ad honores Ecclesiasticos minus ad sæculum redeundi. Gessit morem Antistes, cui Viri sanctitas jam antea perspecta erat, plenamq; Eusebio licentiam abscedendi cum DEO in Eremum non sine impertita benedictione concessit. Quod factum circa an-

num

num 1246. vetera Ordinis monumenta testantur.

Jgitur EUSEBIUS, omni sua substantia pauperibus erogata, Solitudinē Pilisiensem, Strigoniensis Territorii, non procul à Szanto, juxta speluncam triplicem; ab alijs Eremitis olim inhabitatam, aliquot socijs comitatus, secessit, quorum consortio & iste ab illis, & illi ab isto in dies majora, in studio perfectionis faciebant incrementa. Sæpius etiā socijs remotis, vilia quæq; per se obibat officia, venientes verò ad se, omni cum humilitate excipiebat verbo salutari, quo plenus fuerat, omnibus & singulis proficuus. Hinc bajulâ famâ dum per ora multorum Eusebius personaret, inter cæteros, qui Congregationem illam frequentabant, BENEDICTUS, staturâ elegans, facie decorus, ingeniô acer, domo Jllustris & omnibus sæculi fortunis inclytus, illum adijt & Sanctæ Societatis Eremiticæ contubernium ab eo sibi concedi majorem in modum postulavit. Renuit primo Eusebius, incertus de voluntate divina, dum verò de præcipiti Nobilissi-

mi Adolescentis consilio metuens, quæsito tamẽ oraculo divino, quid sibi faciendum foret? ubi à DEO petitionem Adolescentis approbatam animo sensisset, BENEDICTUM sub tyrocinium in vicinam sibi speluncam, non absq; spe propagandæ per ipsum Neo-Religionis admisit, quẽ paulò post eâdem semitâ imitatus est Stephanus, donis quidem fortunæ priori impar, in morum tamen compositione, & svavitate piæ conversationis, per omnia similis, qui eo nomine virtutis & prudentiæ, apud suos deinde viguit, ut post Benedictum, omnium votis Provinciæ Eremi cænobiticæ per Hungariam tenuerit Principatum.

Necdum pro ea conditione temporis, illis in partibus, quamvis alibi Eremitæ Paulini in Cœnobia confluxerant, sed extra communem victum solitarij divisis Cellulis, intra Strigoniense Territorium morabantur. Factum ergò ut orante quadam vice horis nocturnis Eusebio, ignes aliqui per sylvam tanquam scintillæ in arundineto discurrerent, quo viso dum novitate rei attonitus,

an-

anceps animo fluctuaret, quidnam faces illæ absq; pabuli nutrimento, singillatim volantes præsagirent? Ecce tibi subitò illæ ipsæ flammulæ in unum coire suiq; conglobatione tenebras noctis & Eremi pellere, diemq; ipso meridie clariorem efficere videbantur. Quo magis raritate facti stupebat Eusebius eo ferventibus sibi à DEO mysterium ab involucris solvi, ac patefieri precabatur; annutum est favente cœlo orationibus Eusebij: nam audita desuper vox, Lucernas illas ab invicem per Eremum dispersas denunciare illos Viros qui distinctim in Eremo vixerunt, majorem postmodùm fructum facturos, si solitaria vita deposita in unam convenirent cœnobiticam, hac superna vocis occasione excitatus Eusebius, assumptis secum Socijs septem Ecclesiolam modicam S. Crucis in Pilysio dictam juxta triplicē, quam diximus speluncam erexit, & quidem ad Annum D. 1250. cui adjunxit Monasteriolum quod postea quarto à sua erectione per Regem Hungariæ Ladislaum, sylvis, terris, alijsq; proventibus

tibus locupletatum eſt, prout inſertum legitur literis Caroli Regis Hungariæ, ejus nominis Primi, Anno ſalutis 1325. ac poſtmodum confirmatum à Rege Ludovico Caroli Filio Anno 1369. Atq; hic nemo miretur Ordinē S. Pauli Primi Eremitæ decurſu temporis adeo fortunatum extitiſſe, tanto Monaſteriorū per ſolam Hungariam numero, multitudine Fratrū, favoribus Regum, quia videlicet Euſebius, à Cruce Religinem auſpicatus eſt. Qua præmiſsâ plerumq; felices ſucceſſus ad omnē fortunæ nutum ſubſequi ſolent. Eo itaq; Euſebius in loco iterato ſuam reſidentiam quaſi primam Coloniam ducens ſtabilivit, obtentaq; facultate à ſuo Archipræſule Strigonienſi, tremenda Miſſæ Sanctificia offerre, ibidem orationib9, ſacriſq; pſalmodijs Numen cœleſte invocare cæpit. In hujus præmemorati templi poſtibus, quod hodie ſimul cum dicto Cœnobio funditus à Turcis deſolatum cernitur. Tale olim illudq; vetus legebatur carmen:

Deſerti quondā luſtrantes invia Patres
Hîc humiles ſcopulis caſas fixêre ſub altis

Et

Et latebras sparsim statuunt in rupe cavata
Eusebius *sacer hic vir Eremita, atq; Sacerdos.*
Sub titulo tandem S. Crucis extruit Aula
Mox ad eũ Fratres specub9 fluxêre relictis
Cœperuntq; simul claustralẽ ducere vitã
Hinc Eremitarũ Pauli *succrevit in Orbe*
Relligio, morũ probitate nitens & Amictu
Maximus exiguo Fluvius sic fonte redundat.

Cæterũ cum EUSEBIUS in territorio Strigoniensi DEI causam severo odulus administrat, velut ille alter olim Eusebius Episcopus Vercellensis, de quo S. Ambrosius, qui prim9 Monachismum Clericatui conjunxit, & in Ægyptum Legatus Apostolicus profectus, Monachos Orientales, secũ in Occidentem adduxit rexitq;. Similem & Noster Eusebius, novellæ Congregationis adhuc Eremisantis curam indefessam in prædicta Diæcesi gessisse traditur. Interim dum ille Fr. Antonium itidem circa suũ Patachianũ Cætũ (cujus solius circa illud tempus Authores meminerunt) strenuam navare operam intellexisset, Regulamq; à Bartholomæo Quinq; Ecclesiensi Episcopo traditam, à se suisq; ad unguem servari, cognovisset,

visset, æmulaturus & ipse charysmata meliora, ejusdem Regulæ copiam sibi ab Antonio concedi majorem in modum postulavit, nec diu justis precibus obluctatus Antonius, eandē mox omni cum animi promptitudine, ad S. Crucem deferri imperavit: statimq; mutuus inter utrūq; amor juxta Deum concepit initia, prout & sensim cum tempore majoribus incrementis progrediebatur. Sic adunatis animis facta est virtus unita fortior, ut jam eo ipso adunationis Anno 1230. visum fuerit consulendæ necessitati, publicum consessum instituere, quatenus ab unius regimine, totus ille novellus Ordo obedientiæ filo dependeret, quo citius hæ geminæ Cohortes sub eodem vivendi modo constitutæ, Ordinem sub titulo S. Pauli Primi Eremitæ, ad exoptatum suæ vocationis reducere possent effectum, Itaq; novitia hæc membra de supremo Capite creando, agitare consilia, indicere supplicationes, tum verò electionem simplicem quidem, illius tamen præsentia, cujus cum simplicibus sermocinatio est Divinissimi Spiritus,

insti-

inſtituere; mox etiam ſuffragia ab uno quoq; mutuare, donec ſors ſuper *Euſebium* cecidiſſet, qui præ cæteris vitæ innocentia, farragine ſcientiarum, dexteritate agendi clarior, eminebat. Hinc voces illæ ingeminatæ, neminem poſſe melius Neo-Reipublicæ Paulinæ, tenere clavum, Socioſq; regere & in propoſito confirmare, quam, eum, qui illos in Domino genuiſſet. Hæc ubi de ſe agi perſpexiſſet *Euſebius* rei commotus eventu, quantò pertinacius illi inſiſterent, tantò fortius iſte reluctabatur, malens cum ſecuritate conſcientiæ, inferioris tenere vices, quam cum periculo ſalutis Prælati munus adminiſtrare. Nihilominus, dum ex una parte ſuæ conſcius infirmitatis gravitatem oneris reformidat, ex altera, DEI Fratrumq; voluntati contraire verecundatur, delatumq; ſibi Provincialatûs honorem eâ conditione admiſit, ut illi viciſſim quà Deum pro ipſo precando, quà juſſionibus ſuis obtemperando ſibi deeſſe non patiantur. Erat cum eis non ut major prælatione, ſed ut minimus, cunctorum ad quantum in ipſo

ipſo erat, obſequia paratiſſimus, quamvis & Fratrum erat in obſequendo ſumma facilitas, mirus in convictu ſimplicitatis candor; nulla ibi niſi virtutis æmulatio, nulla niſi de ſola humilitate contentio, compoſiti ad modeſtiam omnium vultus, ſpectaculum ſuperis, hominibuſq; longè jucundiſſimum.

Interea dum ab *Euſebio* Clauſtralis Eremus illa gubernatur, Decreta quoq; Concilij Lateranenſis ante 45. annos in Urbe ſub auſpicijs INNOCENTII III. celebrati, ſparſim per orbem, publica executioni urgentibus Epiſcopis mandabantur, devenerunt illa tandem etiam ad manus *Euſebij*, quorum intuitu animum ſuum non mediocriter pungi ſentiebat, eo quod concluſione ſeptima illius Concilij, Decretum legerat: Ne nimirum Religiones novæ ſine expreſſo conſenſu Sedis Apoſtolicæ inſtituerentur. Ideoq; cum varijs lancinaretur cogitationibus, quid in dubio ſibi agendum præſtaret, eouſq; fluctuabat animo, donec de itinere Romano pro ſtabiliendo Ordine ſuo cogitaſſet; Quamvis erat quod illum à ſuſcepta

pta via videbatur avertere, cùm Religio Paulina novitia non sit, sed omnium antiquissima, utpote quæ à mille & amplius annis in Ægypto instituta, perq; Orbem universum propagata, recens verò in claustralem conversa fuerit. Ne tamen plus æquo sapere sibi videretur *Eusebius*, causamq; suam in voraginem præcipitaret, Sedem Apostolicam cũ Fratribus adeundam statuit. Proinde non tanquam noviter institutum Ordinem, sed velut antiquum, cœnobitico nonnisi immutatum, à Vicario Christi confirmandum, idq; ad amussim Regulæ S. Augustini, sibi suisq; concedendum petere proposuit. Præerat tunc Ecclesiæ URBANUS IV. Pontifex, singulari zelo Catholicæ Religionis, vigilantiâq; præditus. Romam ergò cum appulisset *Eusebius*, ante omnia liminibus Apostolorum salutatis, negotium Ordinis pertractandum aggreditur. Aderat in eadem Urbe fato quodam bono *D. Thomas Aquinas* Doctor Angelicus, qui cum gratia multa apud Summũ Antistitem, pro merito doctrinæ & sanctitatis polleret, visum est *P. Eusebio*

ſebio ſui quoq; propoſiti ratione adeo S. Doctori altius exponere qui perbenignè ab eodem exceptus, cognitiſq; negotij ſui rationibus, majores *Euſebio* addidit animos, atq; ad Regulam D. Auguſtini pro Ordine S. Pauli Primi Eremitæ petentem, adductis quod optimum fore cenſuit argumentis, cohortabatur, quinimò operam ſuam illi ſocijſq; detulit, atque ut Ferratius loquitur: *pro Sanctis Sanctus ipſe laborans*, Summo Pontifici, poſtulata ejuſdem de meliore nota commendanda in ſe ſuſcepit. Quo favore nixus *Euſebius* URBANO IV. ſupplex proſternitur, expoſitoq; itineris & Ordinis negotio, ubi difficiliorem in concedendis expertus fuiſſet, interventu tandem Angelici Doctoris à latere ſtantis, voti compos effectus eſt. Suis enim quà precibus, quà conſilijs, eo Pontificem inclinavit, ut ſaltem dictam cauſam alicui ex Epiſcopis Hungariæ, pro ſua authoritate commendaret. In cujus grati animi commendationem S. Religio noſtra, Natalem S. Thomæ Aquinatis 7. Martij ex præſcripto Conſtitutionum ſingulari cultu & veneratione proſequitur. Euſe-

Eusebius ergò Româ rediens, ob-
tentâ Bullâ ad Paulum Vesprimien-
sem Episcopum & Regulâ S. Augu-
stini, Fratribus ad omnem pietatem,
morum honestatem, vitæq; sancti-
moniam efformatis, senio gravatus,
per viginti annorum spatium Pro-
vincialatus cum pene innumerabi-
libus vicissitudinibus, tandem febri-
culâ se tentari persentiscens, cùm præ-
divinaret brevi hanc mortalitatis sar-
cinam deponendam esse, in Ere-
mum ad S. Crucem secessit, optimū
arbitratus, præparaturo ad Patriam,
non aliâ quàm viâ S. Crucis ince-
dendum. Jamq; ingravescente ma-
lo, protinus extremo operi se se ac-
cingens, profusis lachrymis erratorū
veniam deprecatus, Sacramentis Chri-
stiano more munitus est. Demùm
convocatis in unum Religiosis, ve-
lut alter Jacob Filijs benedicens, e-
osdem ad cæptam, S. Instituti ratio-
nem continuandam, ad pietatis exer-
citia, votorum executionem, patriâ
voce, eâq; extremâ adhortatus est, pro-
nuntiatisq; nominibus JESU & MA-
RIA, sensibus integris, jucundâ fa-
cie, oculis in coelum directis, de-

corâ totius corporis compositione, innocentem animam DEO, cui omnia vivunt, resignavit. Ubi jam crudele Fatum mortualem scenã absolvisset, fit gemitus & comploratio Fratrũ, & ignis amoris, quo æstuabant in Patrem, in copiosas oculorũ aquas resolvebatur, cum hoc tamen solatio, futurum sibi illum apud Deum intercessorem in coelis, quẽ Reformatorem & Magistrũ in vita spirituali habebant in terris. Tum verò moti pietate, honestissimo quo potuerunt modo, non tamen ultra suæ paupertatis cancellos venerandum corpus, ibidem ad S. Crucem funebri pompa inhumarunt Anno Salutis 1230. d. 20. Ianuarij.

De miraculis ejus, nemo curiosiùs, quàm par est, inquirere præsumat, cùm hæc magìs ostendere, quam talem facere soleant; quamuis fortassè similia, ad demonstrandam meritorũ suorum excellentiam non defuerint, quæ tamen optimi Fratres, aut causâ simplicitatis, (aut quod probabiliùs) custodiâ humilitatis, Posterorum memoriæ commendare noluerunt, quemadmodũ plurima, eaq; stupenda pari de causa subticuerunt, quæ

tamen

tamen facta esse nemo illorum ambiget qui Fratrum nostrorum in Monasterio Nostro & S. Laurentij supra Buglam vitæ sanctitatem, testimonio S. Joannis Capistrani confirmatam inaudiverit.

F. BENEDICTUS Secundus Provincialis, vir erat, cujus conversatio vitæq; sanctimonia non tantùm domesticis, verùm etiam externis, signanter Belæ quarto Hungariæ Regi, stupori pariter fuit, ac venerationi, à quo Palatium in Pilisio accepit pro Claustro & Ecclesia S. Spiritûs, quod curâ Fratris Benedicti feliciter erectum, cui Fratrem Petrū præfecit. Fr. Benedictus Paulinos in Croatiam, in Istriam invexit. Quotānis resignabat ex humilitate Provincialatum. Vigesimū agebat annū, ut Magister fuit in regimine, tandem gravi morbo correptus valedixit Fratribus. Charissimi Fratres, si Martyres Christi per frusta laniati, alij capite cæsi, alij ignibus concremati, ut Christi gloriâ potirentur, cur ego miser præsentis vitæ momentaneas afflictiones perhorrescam? Et corpus inane, quod diu iejunijs defatigavi, jam nunc in hora

mortis extrema, quando incinerandum eſt, delicatis refocillem medelis? abſit hoc à me Fratres, ſinite æquô animô perferre, quod nobis natura corrupta irrogat, & DEO *placitum eſt*. Deinde ajebat: O Chariſſimi quòd ratione mei Prædeceſſoris Magiſtri in me benevolo ſemper fuiſtis corde, & pro ejuſdem recommendatione, obedientiæ beneficiū ubilibet mihi exhibuiſtis nec in minimo meū labefactaſtis regimen; pro his omnibus, DEO & vobis immenſas refero gratiarum actiones. Noſtis inſuper, quomodo vobiſcum & in medio veſtrûm converſatus ſum, & quale exemplum vobis, maximè familiaritatis & affabilitatis præſtiterim, ut vos quoq; undecunq; adventantes ſuſciperetis, cum omni urbanitate & manſuetudine; rogo igitur, ut in hoc ſequi me non dedignemini. Conſtat certè, quanta fundaverim & multiplicaverim oratoria, quantos adunaverim Diſcipulos, edocens univerſos ac ſingulos, ut famam ſanctæ converſationis, longè latèq; diſpergant, credo etiam, quod illa quæ olim placuerat, nec modo diſplicet

ſolli-

ſollicitudo idoneè præſidendi, proinde curam adhibete diligentem de futuro Succeſſore. Fr. Stephanus ab olim meus veſterq́; Condiſcipulus, cujus conſcientia vobis clara extitit, ideo prodere eam neceſſe eſt minimè; omnia enim ejus geſta vidiſtis, non puto de veſtris præcordjis fuiſſe lapſum, quantam inter vos ſervaverit charitatē, humilitatem, devotionem, caſtitatem, & obedientiā, ipſum igitur habete commendatū. Ejus enim blanda converſatio non paucos ad amorem vitæ *monaſticæ ferventer accendit.* His dictis ſacrô inſtructus Viaticô eò abijt, ubi fideliter laborantibus in Vinea Domini, æternæ retributionis denarius pendi ſolet. Corpus ejus appoſitum eſt à Fratribus S. Crucis in Piliſio ad corpus Magiſtri ſui Euſebij, ut ſicut in vita dilexerunt ſe, ita & in morte non ſepararentur; & quorum animas una caperet beatitudinis Regio, utriuſq́; Corpus, idem quoq́; ſepulchrū contineret.

F. STEPHANUS Tertius Provincialis. Quemadmodū creſcente numero Diſcipulorum electus eſt *Ste-*

phanus Vir plenus fide & Spiritu S. qui indigenti populo, multùm suô ministeriô esset proficuus; ita crescẽte numero Fratrum Paulinorum nostrorum in Comitijs Ordinis Universalibus ad S. Crucem in Pilisio celebratis, acclamatione facta electus est in Provincialem Ordinis, eodem anno, quo Prædecessor suus vitam cum officio deposuit F. STEPHANUS, plenus & ipse donorum coelestiũ, gratiâq; inhabitantis Spiritûs, omnium opinione refertus. Fuit hic veteranus S. Religionis miles, ut pote qui jam quadragesimô annô in Vinea Domini pondus portabat diei & æstûs, alter post præmemoratum Benedictũ sub B. Eusebij tyrocinio, ad omnem morum compositionẽ, piæq; conversationis exemplum efformatus; benignitatem in verbis, charitatem in operibus, moderamen in cultu & victu Eremitico semper præseferre videbatur, tantùm præterea honestorum exercitiorum Amator, ut etiam cũ dispendio valetudinis, præ assidua Sacrarum literarum lectione totus impalluerit; Hinc quia memoriam pariter diligentiæ adjunctam habuit, facilè

ipsi

ipsi erat, è Spiritûs S. paginis, verba salutaria indigentibus ministrare. Postulans verò sui ministerij robur à Diæcesano juxta citatum præscriptū Pauli Episcopi Commissarij Apostolici de præsentatione & confirmatione, recens electi Provincialis, accessit ad Lodemerium Archiepiscopum Strigoniensem, tanquam ejus Diœcesis Inquilinus, à quo benignè acceptus, & authoritatem in Fratres, & animū ad res Ordinis augendas ab eodem retulit. Annô deinde ab electione sua quartô in Concilio Provinciali, per eundē D. Archiepiscopum cum universo Clero Strigonij celebrato, etiam F. Stephanus adfuit, ubi præter alia in favorem suæ Religionis decreta, impetravit, ut Monasterium S. Ladislai in Kekes, à se jam in Officio ædificatum, gauderet suis immunitatibus, & libertatibus, & præcisâ omni intermediâ, vel vicariâ jurisdictione, Metropolitano Strigoniensi subesset, in cujus rei majorem evidentiam, accepit tribus sigillis, videlicet Ecclesiæ Strigoniensis, Daciensis, & Demesiensis Privilegium roboratū, quod una cum transumpto per D.

Nicolaum ibidem Archiep. Strigoniensem A. 1363. confecto ad hæc usq; tempora conservatur.

Idem P. *Stephanus* procuravit aliud Monasteriũ S. Ladislai de Barania, fundatum à Conrado de Ovar. Item Monasteriũ de Garich. Obtinuit Regulam, quæ incipit: *Hæc sunt quæ Fratres debent firmiter observare &c* Tandẽ & senio & morte in fata ejus conspirantibus, præmissis omnibus, quæ moribundũ commendare solent, pluribus virtutibus numerum dierũ incedentibus, viam universæ carnis ingressus est. A. 1300. Cui ab omnibus profusione lachrymarum, devotis precibus, ac sepulturâ ad S. Crucem, parentatum est.

F. LAURENTIUS Provincialis IV. quemadmodum alios præcellebat officiò dignitatis, ita etiam religionis exemplô & meritô sanctitatis nulli suorum secundus extitit. Castimoniam enim cum pietate, mansuetudinem cum humilitate, cum discretione modestiam, individuo foedere semper conjunctã habuit, Quin illud de ipso in veteribus Marci de Dombro, Vicarij quondam Rhemetensis manu-

manuſcriptis,his verbis proditum eſt. *Notabili habitu non patiebatur decolorari, nec lautioribus epulis ſaginari, alios quoq; Fratres non ſinebat cultioribus veſtibus ornari, magnum ſibi reputabat communi omniũ victu atq; veſtitu honorari. Vnum porro quàm maximè pavebat præ cæteris, ne occaſione ſuæ adminiſtrationis pauperem vitam, quam profeſſus erat, deſereret, & Monáchi præmium perderet. Quid prateré a dicamus? Placita certè erat anima illiûs, Angelicô conſortiô digna, nam ea, quæ hactenus neglecta fuere, ſua ſtudioſitas reſarcivit.* Hæc Dombro.

Sanctitatis ejus imitandæ gratiâ, excitabantur ſuorum quàm plurimi, qui ſicut olim oves gregis ſub Patriarcha Iacob, ſolo intuitu virgarum verſicolorum, fætus pariter verſicolores ediderunt, ita illi intuitu diverſarum virtutum,per omnia ſimiles efficiebantur. Horum è numero præcipuus erat.

F. ZORARDUS Magni illiûs è Polonia oriundi Zorardi Eremitæ de quo ſuprà, uti nomine æquivocus, ita pietate non degener. Qui Conventûs S. Crucis Prioris elogiô decoratus, poſtea etiam P. Laurentio Ex-Provinci-

vinciali, Generalatûs titulô cospicuo, primus in Ordine Vicarij Generalis nomen & officium assumpsit.

F. VEYCE floruit in Conventu S. Ladislai de Kekics Loci ejusdem Prior, honestate morum & conversatione Patrum valde insignis, etenim coelestium rerum meditatione jugi delectatus, extraq; se positus, velut ab ubertate Domûs DEI, ac torrentis spiritualium ebrius credebatur; ut dies cum noctibus insomnes duceret, eâq; ratione vulgo à domesticis instar cœlestis prodigij haberetur.

F. NICOLAUS Theutonicus Generalis, Amantissimus Domini JESU famulus, totis visceribus studuit Authori vitæ deservire, commeruit duplici electionis honore sublimari. Is licet multis præclaris fuerat virtutibus redimitus, præcipuè tamen monasticum Schema dolebat. Is recolens se cum officio animas regendas suscepisse, & non pecora, nec possessiones, ideo non tam curabat lucro. Fratres multiplicare, quam extirpare vitia, nec multũ attendebat pecunijs congregandis, sciens avaritiam esse radicem omnium malorum. Unde paratis ad discurrendum dicebat: Manc in Claustro, frequenta

quenta

quenta Oratorium, ut diu noctuq; possis peccata tua deplangere, expecta paulis per: si diligis terram, citò habebis satis terræ subtus te, super te, & intra te, quia cinis es, & in cinerem reverteris. Redargutus verò aliquando respondebat: Ego non de bobus & ovibus, sed de commissis excessibus summo Pastori in die judicij sum redditurus rationem. Et quamvis modicum vixerit, tamen implevit tempora multa, quia justè & piè secundùm Deum vixerat. Hæc de illo Marcus de Dombro.

F. PETRUS Generalis Tertius inter plura memoranda opera abstinentiam summopere colebat, plusq; seipsum, dū Prælatus Ordinatus esset, lege magis in jejunijs & vigilijs, imò & in omnibus Religiosorum observantijs constringebatur, quàm cū privatus existeret, ad serviendum etiam propensior, & in orationibus intensior fuit. Dum alicujus negotij causâ foras prodibat, non delicatis ferculis, sed cibis regularibus contentabatur, allectus autem à notis & Amicis ad comedendum, preciosa nunquam, vel raro cogi potuit; nisi ea sumendo, quæ Statuta Ordinis permittebant. Fratres Svevos suscepit ad venerationem in S. Ordinis Act. fol. 123.

B. F.

B. F. CUNO Conversus. Ferunt annotationes Suevicæ fuisse Cardinalem S. Praxedis, & cùm ei à Summo Pontifice discedente Româ commissum fuisset Regimen, livorem aliorum Cardinalium sustinere nequiens, ultrò cessit Româ, & in patrium solum Suevicum reversus quasi incognitus, ex humilitate statum laicalem in Ordine nostro Paulino amplexus & professus in Monasterio Tana dicto, fundato ab Jllustrissimis Comitibus D. Firstenbert. Toto tractu vitæ suæ Sacramento Silentij se addixit & in silentio vitæ suæ periodum fecit. Post mortem miraculorũ famâ Jllustris, à Christi Fidelibus per innumerabile tempus contra gravissimos rupturæ dolores invocatur. Coelis additus Anno 1351.

F. TRISTIANUS *Generalis VII.* Nobili oriundus Prosapiâ, factus Paulinus, tantò humiliorem se reddidit, quantò excellentior in sæculo videbatur. Hinc factum, ut bona, quæ ageret, cum magna cautela prosequeretur, ne favor aut gratia humana irrepens eidem humilitatis titulum & laboris proemium eriperet. Patientia

entia verò ac fortitudine Christiana præditus, usq; adeo adversitates læto animo tolerabat, ut ob id meliori titulo Hilarius, quàm Tristianus compellari debuisset: Quanquam non malè hoc nomine vocabatur, qui relictis sæculi gaudijs, Religioni Sacræ, tanquam statui luctûs & pœnitentiæ annos juventutis suæ consecravit, idq; exemplô Christi, qui velut idæa & norma religiosæ vitæ (qualiter à SS. PP. appellatur) nunquam risisse, sæpius verò illachrymasse, adeoq; continuum quodammodo Tristianum egisse legitur.

Hic magnus Vir, Ordinis promotionē & disciplinā Claustralē nō tantū florentem conservare, sed etiam novis, ijsdemq; saluberrimis institutis augere adlaboravit: quale est illud imprimis, gratitudinis & amoris erga Benefactores & Confratres defunctos, quorum animabus è purgatorio liberandis Clericus Psalteriū integrum, Conversus verò centū quinquaginta orationes Dominicas, totidemq; salutationes Angelicas persolvere cogebatur. Aliud quoq; frugalitatis ac temperantiæ statutum eo Autho-

Authore promanavit; quo non nisi duo cibaria singulis Conventualib9, pro quotidiano victu indulgebantur, quod pariter diebus carnis Privij, observatum est, præterquam quod Sabbathis ob reverentiam Sanctissimæ Genitricis DEI, sua interdicta fuerint. Item ne quispiam Vigilijs B. V. MARIÆ, Die Sacro Parasceves, Pridie Festi Pentecostes, & Corporis Christi, Nativitatis item Domini, Omniũ Sanctorũ, S. Michaelis Archangeli, aliter quàm pane & aquâ se contentari pateretur. Idem optimus Pater, consulendo famæ & honestati Paulinorum, obtinuit ab Urbano V. Bullam, quæ incipit: *Venerabilibus Fratribus* &c. contra Girovagos. Item Monasterium nobilissimum in Elefant S. Joannis Baptistæ, industriâ ipsius consurrexit. Item Bullam ab Urbano V. obtinuit, quæ incipit: *Dilectis Filijs &c.* cujus vigore omnes Prælati Ordinis Protoeremitici, Fratres suos in casibus consvetis, qvemadmodum Abbates suos Monachos absolvere, & cum eisdem dispensare possunt.

F. COLOMANUS ORGANARIUS Ejusdẽ Provinciæ Suevicæ fuit Frater

ter Colomanus Clericus Iuvenis annorum in Sacra Religione modicus, ast virtutum plenus, qui dum pulsaret organa, cæci, claudi, & affectionibus laborantes exiliebant, & sanitati restituebantur.

F. LUCAS Felix, ob ingens vitæ suæ meritum & sanctimoniā, & multorum miraculorum patrationem vocabatur Beatus. Etenim Is Ludovico Regi in nomine S. Pauli Patriarchæ Nostri victoriam prædixit de Venetis. Cùm enim Ludovicus Conventum Nostrensem visitaret, commendaretq; se precibus Fratrum nostrorum eâ intentione, ut de Venetis existeret victor. Venerabilis Senecio F. Lucas occurit illi & dixit: O Princeps invictissime confido in Domino, quia votum tuum sine dubio consequêris, & donum, quod optasti, sine dubio reportabis; ac protinus ante Monasterij limen in futuri eventûs præsagiū, tiliam plantavit, quæ repente fronduit, inditoq; nomine Arbor Ludovici, usq; dum priori Sæculo, per Ottomanicos cum Monasterio exciderentur, appellata est.

Anno D. 1421. tempore Sigismun-

di

di Imperatoris & Regis Hungariæ Ladislaus 9. Hungarus Castellanus, interventione Beatissimi Patris Nostri cum à mortuis surrexisset, & ad hoc portentum omnes ex Ecclesia, ubi tumulandus erat, profugissent, accessit ad eum intrepidus & ait: Vivisne Fili Ladislae? vivis? Tune es verè ille Castellanus? Et si tu es, manifesta mihi, & quid tecum sit actum, palàm edissere; en experire certo, quales elegeris ad tumulandum te, & DEO commendandum Fratres; Quare Fili mi iterato redijsti in hunc mundum lubricum? Et unde hoc meruisti? Respondit Castellanus quasi de somno gravi evigilans: O Pater! Rogo te, ut revoces eos, qui aufugerunt, confortans eos, ut sibi minimè timeant, nec phantasma aliquod in me latere arbitrentur, sed intrent securi, & attentâ aure audiant, & percipiant magnalia DEI, quæ dignata est Divina pietas meritis Sancti & Gloriosi Pauli P.E. in me demonstrare.

Cumq; ad persuasionem B. Lucæ cuncti redijssent sic eos affatus est Charissimi Fratres & Amici, audite ju-

stum

ſtum DEI judicium in me peccatore completum: Quando dira infirmitas animam meam è corpore extruſerat, in ictu oculi coram diſtricto Judice comparere ſum compulſus judicandus de factis meis, & qualiter tempus gratiæ expenderim? Et en coram multis mille millibus, qui Iudicem circumſtabant, allatus eſt liber quidam in quo omnia geſta mea continebantur, quem cùm Iudex tradidiſſet Angelis ſuis ad legendum, ut de bonis præmiarer, illi mala mea repererunt inſtar arenæ maris quæ commiſeram corde ore & opere à juventute mea de quibus dignam pœnitentiam non egeram. Bona mea geſta erant pauciſſima imo ut verum fatear, non plus de orationibus meis quàm quantum dimidium Pater noſter eſt, quæ ſine peccato mortali oraveram; & poſtquã appenſa eſſent cum malis meis in ſtatera, & mala plus ponderaſſent Iudex viſo hoc indignatus, damnationis in me ſententiam dare diſponebat. Tunc timor & tremor venerat ſuper me, vel ob ſolum aſpectum immundorũ Spirituum quorum catervas intellexi

G me

me expectantes, illinc stridorem percepi dentium, hinc nullam spem vidi consolationis, territus quid agerem, aut quô me verterem ignorabam, præter unicum solatium nil occurebat, quàm quòd in oratione Fratrum Ordinis hujus, & in merito Beatissimi Pauli illorũ Antesignani plurimùm sperabam, sed in hac mora cùm jam fere desperarem, ecce video à longè Senem magnum niveo candore fulgentem baculum eremiticũ in dextera gestantem festinare in adjutoriũ mihi, qui qùidem affabiliter respiciens me tremebundum pronus coram Iudice una cum multitudine Fratrum suorum, quibus vallatus erat, corruit, eumq; adoravit dicens: *Iuste judex, totiûs pietatis & misericordiæ Pater & Domine, cui semper est proprium misereri & parcere, memento quia misericordia tua super exaltat judicium; tu enim non vis mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat, nec lætaris in perditione morientium, obsecro te igitur aufer iram & indignationem tuam ab hac misera Anima, & relaxa facinora quibus damnationem meruerat, licet enim peccaverit, tamen te Dominum suum confessa est,*

est, qui honoraris in Sanctis tuis; me quoq; in summa veneratione habuit meosq; Filios, qui tui sunt, & amando fovit, & fovendo protexit: non ergò pereat sua protectio & devotio, nec fraudetur hæc anima suô desideriô coram Majestate tua. Obsecro ex benignitate tua redeat hæc anima in corpus suum ad vitæ emendationem & pœnitentiæ actionem, ut enarret universis mirabilia tua. Quô obsecrante DEUS continuo exaudivit preces Sancti sui, ad ejusq; me orationem resuscitavit. Et datæ sunt mihi induciæ triginta dierum ad agendum pœnitentiam, quibus expletis, de novo migrabo ex hoc sæculo. Et hoc signum mei testimonij est: Filius meus parvulus hodie morietur, qui ad huc integer dicitur Parente incinerato: addiditq; dicens ecce equus meus phaleratus protinus cadet & morietur ante cœmeterium; quod & factum est, pluraq; alia, tàm de Sigismundo Rege, quàm de Domino suo Nicolao Garay prædixit, prout sibi revelata asseruit.

Quibus auditis Populus laudes Deo decantabat & orationes ad Patrem misericordiarum fundebat, qui mille modis impios justificat, deducit ad inferos & reducit. G2 Post

Post hæc omnibus ad propria redeuntibus Castellanus ibidem mansit, austeram in Monasterio vitam traducturus adeo, ut intra illos triginta dies nemo mortalium eum, aut ridentem, aut manducantem, aut bibentem, aut dormientem viderit, sed semper orationi vacantem, aut aliquid boni operantem: Post refectionem autem Fratrum, intrantibus ijs de more ad Ecclesiam pro gratiarum actionibus reddendis, ipse flexis obviabat genibus, & singulorum deosculabatur manus, dicens: *Gratias ago DEO meo, quia meritis D. Pauli, & vestrarum orationum intuitu, dignatus est animam meam de profundo inferni liberare, & corpori meo restituere ut pœniteam.* Sicq; completis 30. diebus, & Sacramentis munitus ritè obdormivit in Domino, qui multorum deinde fuit causa salutis. Annalium fol. 163. & 168. & 169.

F. FRANCISCUS resignáto Generalatûs officio Vicariatum in Monasterio B. V. de Nostre à Successore Fratre Benedicto collatum ex obedientia suscepit. Quantis porro omnipotentiæ suæ effectibus sanctita-
tem

tem Viri, Deus declaraverit.; Libet ex ipſo libello P. Gregorij Gyongyeſini olim Prioris Generalis, ante centum nonaginta annos à ſe conſcriptum bona fide depromere, ut de majori certitudine facti benevolus Lector tanti viri teſtimonio, magis quàm á novello ſcriptore aſſecurari poſſit.

Reverendus P. Franciſcus Vir Apoſtolicus, poſt ceſſionem ſui Officij, annis plurimis iteratâ vice inſignem Conventum de Noſtre feliciter ut Vicarius geſſit, ubi non ſolùm virtutibus verùm & ſignis & miraculis clarus extitit. Referebatur enim per Fratres veridicos, quòd dum ſuis quâdam vice temporibus maxima cariſtia, per partes fermè totius Regionis illiûs invaluiſſet, quàm plurimi pauperes & inopes, ſanctitate & benignitate Apoſtolici Viri auditâ, ad Monaſterium ſuum confluebant vitæ ſubſidium petituri, quos ipſe velut diſpenſator patrimonij JESU Chriſti Crucifixi diſcumbere faciebat & comeſtibilia quæ habere poterat, eis miniſtrabat; nec ijs contentus, poſt refectionem ad propria

redire volentibus, quantùm possibilitas patiebatur, triticum, farinam, & alia humanis usibus accomoda abundè & hilariter distribuebat; Ad famam autem hujus magnifici facti, quidam cum suis parvulis lachrymantibus & ejulantibus obnixè rogans, ne eos præ inopia fame mori permitteret. Quos cùm Vir DEI aspexit, commota sunt viscera ejus & advocato Fratre Clavigero, præcepit ut quidpiam cibi vel farinæ eis tribueret: quod & fecit; post hunc venit Christus in quodam suo paupere denudato, qui se nihil comedisse per biduum deplorabat, quod ut Pater Pius audivit, se continere à lachrymis nequivit. Iteratò Clavigerũ jubet scopare cistam & pauperi aliquid impertiri, jurat Claviger ingeminans ibi nihil remansisse. Sed instante Pio Patre cum lachrymis, ut attentaret; ille currens impatienter, & cistam aperiens purgatissimã farinam reperit. Ad cujus intuitum dictus Claviger quasi in extasim raptus, clamabat: quô auditò accurrit Pius Pater, concurrunt & cuncti Fratres, & famuli visoq; hoc

mira-

miraculô Dominũ benedicunt. Mox Vir Dei lætus & jucundus factus est, Deo gratias agens, mandavit ut omnibus in nomine Domini petentibus largam tribuerent elemosynam, affirmans quia qui dat pauperi, non deficiet, & justitia ejus manet in sæculum sæculi. Nec ibi defecit annona, donec superveniente messe, propitiaretur Dominus omnibus invocantibus eum.

Aliud quoq; miraculum ibidem accidit. Solitô more Fratres monasterij cùm in die Sabbato Vesperas cantarent, & Claviger de hoc fluctuaret, quid videlicet in crastinum ordinaret ad prandium, tandem venit ad Vicarium qui peractô Officiô Vesperarũ, in Ecclesia pausabat, interrogans de negotio suo; qui ait: ne solliciteris de crastino. Patrona Nostra B.V. MARIA providebit. Tunc illô recedente, & fusâ devotâ oratione, postea in commune veniens, injunxit Fratribus, ut die crastinâ lucente aurorâ Missam de B. V. decantarent, qui quidẽ velut Filij obedientiæ, dum injunctam Missam humiliter, devotè, cervicibus & super-

cilijs in terram demissis concinerent. Mira res! Ecce ante fores Monasterij adest ingentis magnitudinis Cervus, quem claviger, de Ecclesia, ubi preces devotè fundebat, prospiciens, primùm pertimuit, deinde tamen visâ ejus mansuetudine suo cingulo quô cinctus erat collotenus alligatũ duxit ad mactandum, & partes in frusta cedens verubusq́; corpora trementia figens, coxit, assavit, & reliqua salivit, postea cum gratiarum actione, donũ DEI munducaverunt laudantes & benedicentes piam Dei Genitricẽ MARIAM Matrem misericordiæ, quæ cunctos sibi servientes mille modis reficit.

Plura & alia miracula ejusdem, ab ore omnium populorum prædicabantur, quæ omnia perscribere pertæsum foret, hoc unum non est silentiô pertranseundum, quòd dum multi confluerent ad visitandũ R. Patrem quondam Ioannẽ Capistranum, ipse dicere solebat: quod si quis Sanctos in corpore jacentes videre desiderat, vel voluerit, ad Nostre vadat. Ubi multi Fratres integrô corpore requiescunt, inter quos dictus B. Franciscus, de cujus sepulchro duæ herbæ

herbæ virides & latæ altitudinis u-niûs palmæ inſtar ſtillæ pendulæ ex-creverunt, quas Fratres inibi degentes cùm publicarent P. Zekel Noſtrenſis Vicarius demolivit, ne ex illis Fratres vanam gloriam ex meritis S. Patris mercarentur.

S. CASIMIRUS, Sereniſſimorum Regum Poloniæ Caſimirô & Eliſabethâ Auſtriacâ ortus. Sacri Ordinis Noſtri Paulinorum Confrater Inclytus cum univerſa Regali Familia, Faſtis Protoeremiticis adſcriptus methodo qui ſequitur.

Sereniſſimo Principi D. CASIMIRO. DEI gratiâ Regi Poloniæ, Magno Duci Lithvaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Domino & Hæredi, & Sereniſſimo Principi D. Ladiſlao eâdem gratiâ Bohemiæ Regi, Marchioni Moraviæ, Lucemburgæ, & Sileſiæ Duci, ac Luſatiæ Marchioni; Sereniſſimæ D. Eliſabethæ DEI gratiâ Reginæ Poloniæ & Duciſſæ Auſtriæ, Ejuſdem Sereniſſimi Caſimiri Regis Conthorali; nec non & Jlluſtriſſimis Principibus D. Caſimiro, Alberto, Alexandro, Sigiſmundo, & Friderico, Eorundē Dominorū, Regis & Reginæ Filijs;

ac

ac etiam Hedvigi & Sophiæ, Elisabethæ Filiabus. Frater Iacobus Ordinis Eremitarum S. Pauli P. E. Regulam D. Augustini Episcopi & Ecclesiæ Doctoris Eximij Professorũ Provincialis Fratrũ in Regno Poloniæ & Partibus Silesiæ degentiũ, & Monasterij S. Stanislai de Rupella in Casimiria Prior, Salutem ab omnium Salvatore.

Devotionem Vestrarum Serenitatum laudabilem, & affectũ cœlibem, quem ob reverentiam DEI Omnipotentis, & B. Pauli Primi Eremitæ Patris N. Inclyti merita gloriosa, ad nos Nostrumq; Sacrum Ordinem gratanter acceptando, Christoq; non immerito, acceptabilem fore credendo vicissitudinem Vobis rependere cupientes salutarem, Vestras Excellentias, ac quemlibet Vestrum in Confraternitatem Ordinis Nostri in vita recipimus, pariter & in morte, plenam participationem omniũ Missarũ, Orationum, Devotionum, & Divinorũ Officiorum, Vigiliarum, jejuniorum, observationũ, & laborũ, cæterorumq; bonorum operum, quæ per Fratres nostros universos & singulos, præsentes &

tes & futuros, ubivis constitutos, & in futurum constituendos, operari dignabitur gratia nostri Salvatoris, tenore præsentium. Vestris Excellentijs gratiosè concedendo, in quantum annuit divina Clementia, & Vestrarũ Excellentiarum se extendit devotio meritoria, ut per hæc & alia pietatis opera, gratiam in præsenti, & gloriam in futuro, præstante Dominô valeatis promereri. Datum Cracoviæ 12. Augusti 1472.

Eo honorificentior Ordini candido, hæc admissio in participatione Sanctorum operum tibi Lector videatur necesse est, quòd in ea Casimirum Casimiri Regis Filium signanter comprehendi advertas. Qui Cracoviæ 1458. natus. Vilnæ demum post 25. Annorũ decursum mortuus, à Leone X. Pont. Max. Sanctorum fastis adnumeratus est.

Fr. Iacobus Ordinis Eremitarum S. Pauli Primi Eremitæ Provincialis ut supra. mpp.

Apparuit is certo nostro devoto Religioso cingulotenus denudatus se se disciplinans, sub cujus Imagine scriptum erat: *Vir in summo, Provincia-*

lis

lis in Summo, Servus DEI in Summo. Die 10. Maij 1718. Si fuit Vir in Summo? ea quæ Virũ decent egiſſe debuit. Ergò non abijt in concilio impiorum & in via peccatorum non ſtetit, & in cathedra peſtilentiæ non ſedit, ſed in lege Domini voluntas ejus, et in lege ejus meditatus eſt die ac nocte. Et fuit tanquam lignũ quod plantatum eſt ſecus decurſus aquarum, & fructum dedit in tempore ſuo, & folium ejus non deſluxit, & omnia quæcunq; fecit, proſperabantur. *Vir in ſummo. Provincialis in ſummo.* Quaſi diceretur: Paſtor in ſummo qui animam ſuam dabat pro ſibi commiſſis ovibus, qui in vita ſua ſuſſulcijt Domum, & corroboravit templum, templi etiam altitudo ab ipſo ædificata eſt, duplex ædificatio & excelſi parietes templi. Hic curavit Gentem ſuam & liberavit eam à perditione. Hic fovet oves creditas, arcet lupos, quia *Provincialis in ſummo. Servus DEI in ſummo.* Si Servus DEI in ſummo, ergo tradita ſibi talenta à D. nõ defodit in terra ſed operatꝰ eſt in eis, & lucratus alia talenta, & quia ſervus bonus & fidelis

fidelis & prudens dictum est ei, Intra in gaudium Domini tui *Iacobus Servus DEI in summo.* Quod totum edisserunt Acta Conventûs Cracoviensis, in Rupella ad S. Stanislaum Episcopum Cracoviensem.

Libet annotare consequentem gratiam Serenissimorum Reginaliũ Principum ad merita S. Ordinis nostri susceptorum: Posteaquam solenni ritu Albo Sacri Ordinis adscriptus est Divus Casimirus cum universa Reginali Familia, in tesseram grati animi Præposituram S. Stanislai pro Conventu nostro procurare dignatus est, cui Præposituram libens cessit Perillustris & Reverendissimus Dominus.

Dlugosz Canonicus Cracoviensis Moderator Iuventutis S. Casimiri, in vim cujus cessionis Nominatus est Archiepiscopus Leopoliensis. Frater autem Iacobus Provincialis penes Provincialatum primus illam novam Coloniam regendam suscepit, & postmodum alternatim cum Fratre Dreuica Konarski Provinciali illam administravit.

F. Nicolaus I. Provincialis Poloniæ quartus, ad merita Fratrum suorum

orum Canonicos Lateranenses Conventûs Mstoviensis adscivit; ut esset virtus fortior, quæ hucusq; reluceat in arduis, dum in communi mortis inevitabilis naufragio, Augustinus Paulo, vicissim Paulus Augustino charitativum exhibet obsequium, auxiliaremq; exporrigit dextram. Ex Actis,

F, GREGORIUS *Primus*, Generalis 26. Hic exemplo B. EUSEBIJ ex Canonico Strigoniensi Eremita Paulinus, scientijs liberalibus apprimè excultus, in abnegatione temporalium, contemptu mundi, efficaciâ prædicationis, reprobatione vitiorum, nulli Coetaneorum in sinistris fuit. Prudentiâ tamen, potissimùm in directione subditorum Fratrum, ut ex sequentibꝰ manifestè subintelligi potest, enituit. Duo Iuvenes inconsultâ facultate extra terminos refectionis gulæ vitio sæpius per exploratores obnoxij reperti, à Fratre Gregorio plus indulgentiâ quàm rigore vindictæ ad frugem reducti sunt; unâ etenim dierum, quâ genium suum asso capone clandestinè exhilararunt, eosdem patefactis repentè foribus deprehen-

sos

ſos hiſce verbis allocutus eſt: Deus vobis parcat chariſſimi, quod me non invitaſtis? Blanda videbatur utriq; inopinata Fratris redargutio, ejus tamen energiæ, quæ eoſdem à tranſgreſſione temperantiæ legum poſthac ſemper deterruit. Aliud prudentiæ & dexteritatis ſuæ in corrigendis defectibus exemplum edidit. Aderant ex Urbe ad fores Monaſterij S. Laurentij binæ Viduæ, quæ mundo renuntiaturæ Sanctimonialiũ inſtar, magis ſimplicitate, quàm importunitate locum ſibi in Monaſterio deſignari flagitaverant, reſponſum illis à Fratre Gregorio, locum eorundem deſiderio vacuum nequaquam ſupereſſe. Cui juvenis Frater lateri ſuo proximus: O *Pater* (ſubintulit) *prope meam cellã una eſt vacua*, repoſuit Superior, ita quidem ſed aliunde à diverſo ſexu Clauſtra Monachorũ frequentari legibus ab Eccleſia latis cautum eſt, quô dictô Matronæ viam remenſæ. Frater autem diſſimulante tantiſper Sene in hunc modũ ſimplicitatis ſuæ culpam eluit. Adventanti aliquando Dominæ cuidam decenti comitatæ famulitiô gratiâ in-

viſendi

visendi Corporis D. Patriarchæ nostri P. Generalis, assumpto eodem Fratre obviam progressus, ad Ecclesiæ interiora eundem deduxit, ostensisq; Reliquijs digressus, exemplô magni illiûs Sabbæ periculum facturus juvenilis innocentiæ, socium Fratrē ita allocutus est: Doleo, quòd ista Matrona nobilis & egregia, habeat suam Filiam, alias nobilē monoculam & deformem. Cui Iuvenis simplicissimus; Certè Pater non est monocula, turpis, ego bene aspexi, sed habet oculos, claros & ignitos: cui alter: Itane Frater oculi tui petulantia graditur, ut de forma muliebri tam promptam reddere rationem valeas? Sanè si de tua simplicitate mihi non constaret, protinus dignas curiositatis tuæ pænas daturus esses eoq; in hunc modum Iuvenem deinceps verecundiæ studiosum efformavit.

Caco flagello ferit. Non minus auditu jucundum de Vicario quodam, qui sive hypocrisi & ficta humilitate, sive inobedientiâ, tanquam officio indignus, importunis precibus à F. Gregorio Generali exauctorari institit, benignâ id aure

aure aliquamdiu sustinuit Pater, tandem subornatô, qui sibi vices suas eô præsente, deferri rogitaret, alia vice interrogatus, num sententiam mutasset? Eôq; respondente, quòd non, post multa ultro citroque versa, Iuvenis ille in medium prodijt, curvatisq; devotè genibus Generalem ita allocutus fertur, Reverende Pater, quandoquidem iste recusat, ego puto me dignum & idoneum ad hoc Officium Vicariatûs supportandum, igitur amore DEI date mihi illud. Quô auditô Hypocrita ille confusus & irarum plenus in Iuvenem, tandem à supremo Cænobiarcha tranquillitati restitutus officium gratanter consummavit.

Quamvis autem solitas Fratrū delationes, regulâ, præceptis, ad profectum delinquentium lubenti susciperet animô, in gravioribus tamen causis non nisi negotiô bene discussô, perq; testes idoneos comprobatô procedere voluit. Et quidem detrahentes secretò proximo suo, adeo prosequebatur, ut in illos pœnam talionis, assentiente quatuor Virorum Senatu, constituerit: Æquè id etiam inter

cætera conclusum, hodieq; ratum ne duobꝰ una in cella conversantibꝰ ostium, fallendis transeuntibꝰ occludatur. Item ut in dedicationibus Ecclesiarum nostrarum, similiter die Litaniarum majorū S. Marci Evangelistæ, occurrente Dominica Fratres carnibus reficiantur; alias supplicatione missâ Sixto Pontifici Iubilæū, pro Fratribus suis, à se impetratum legitans.

Deniq; eo in Officio, ita omnibus se se reddidit gratiosum, ut multi spiritûs libertatem, cum exemplari ædificatione conjunctam testarentur: *Nullum sub toto Hungariæ Sceptro sibi sanctitate similem reperiri posse*, congratulantibus interea Fratribus, talem se virum possidere, à quo universus Ordo tantam honoris accessionem consequitur. Apud Serenissimū Mathiam Regē nominis sui famâ tantùm jam præscripsisse videbatur, ut relictâ sæpius Budensi Arce, in vicinum Cœnobium S. Laurentij se transtulerit, suspensâq; tantisper Majestate Regiâ, cum Viro hoc familiaria miscere colloquia, spatiari per ambitū, imò & cellam vinariam animô se re-

Dignū Elogiū

refocillandi descendere dignatus sit. Unâ etiàm dierum exeuntibus Fratribus ad pulsum campanæ, Servitor mensæ evocatus, ubi præ foribus Monasterij, Eundem Regem Aulicâ stipatum catervâ conspexisset, ne contra legem ageret prohibentem, quempiam inconsultô priùs Superiore ad Monasterium intromitti, clausis interim foribus Generalem de adventu Regis exteriùs præstolantis certificat; Exiijt è mensa Pater citòq; gressu Regi appropinquans; *Parcat ait nobis Serenissima Majestas, neq; enim ob uniùs simplicissimi hominis culpam Regia Clementia omnes nos reos pronuntiabit.* Tantum abfuit hoc Servitoris barbarismo exacerbari Mathiam, ut potiùs in bonam partem interpretatus Comitibus ac Baronibus in exemplum fidelitatis proposuerit dicens: *Vtinam & vos talem ac tantam semper exhiberetis obedientiam & fidelitatem, qualem Frater iste Superiori suo jam exhibuit.*

Aliô tempore ab invictissimo hoc Principe sua per cænam domesticam quæstio proposita. Quæ Religio instituto suo tenacius insisteret? Cùm diversos Ordines Regularium excu- *Quæstio in Regia cæna mota.*

H a lissent.

lissent. Mathias collaudandis Fratribus Paulinis hoc in passu partes assumpserat, missisq; in testimonium dictorum tribus famulis explorabatur, quid in Claustris Budensibus ageretur? à primo quidem & secundo intellexit: Omnia esse quieta, neq; sonitum animadverti posse, at ubi tertius advenisset, & Fratres Eremitas in Monasterio S. Pauli ad aspersionem aquæ lustralis stetisse, tandem in pavimentum totô corpore pronos corruisse, significasset, gaudiô perculsus nobilissimus Princeps ajebat: *Nonne verior est sententia mea quā vestra? Agnovit quippe hoc ante me Prædecessor meus Rex Ludovicus hac similitudine: Quod sicut feræ sylvestres communiter habent pelles pulchriores quàm domesticæ bestiæ, sic puriores sunt homines extra tumultum mundanorū habitantes, quo fiebat ut eidem Prædecessori meo magnis fuerint in amoribus, eisq; Confessiones Sacramentales præ cæteris manifestaret.*

Martires Kapolnenses. *F. Prior Kapolnensis cum Viginti Fratribus.* Cùm Regnante Principe Mathia, clavumq; teneret Sacri Ordinis dictus Gregorius hujus nominis Primus, Generalis Vigesimus sextus, advo-

advolavit Kapolnam innumera Ottomanorum multitudo; Incolisq; ferrô flammâq; extinctis, tandem in Monasterium insanus Turcarum versus est furor. Deprehensô inibi Superiore cum Viginti Fratribus, Superiorem debilitate tabescentem obtruncarunt sanguinarij nequam, Fratres verò Viginti in barbaram servitutem abducti, longôq; Martyriô toleratô consumpti sunt.

F. Clericus Laadensis. Anno D. Millesimo quadringentesimo septuagesimo sexto sub felicissimo regimine Patris Gregorij Primi, in Monasterio de *Laad*, debitum mortalitatis solvit, immortali memoriâ dignus, omniumq; virtutũ norma & specimen. P. CLEMENS. Vicarius ejusdem Cœnobij Laadensis fortasse lue pestiferâ laborans, hunc devotus F. Clericus cũ sepulchro condidisset, & ipse viam æternitatis ingressus est, persolutis pro animâ Superioris sui precibus. Hic bonus Frater, cùm humeris Confratrũ ferali capulô inclusus, sepulchro jam jam inferendus esset, redivivus omnium præsentiũ stupore se se erigens in has voces prorupit: *Orate pro Patre Clemente, ecce sub ligno Ce-* Miraculum.

 rasi

rosi legit in quodam magno libro. Quo dictô caput Sarcophago tumulandum recondidit; Piacularibus flammis detentum Patrem significabat, ipse utiq; jam felix,qui se prætermissô, tam solicitè, opem salutis alienæ implorabat. Plura Patres nostri de hoc miraculo reticuerunt.

Reassumptô Generalatu P. Gregorius, tempore siccitatis cum trecentis Fratribus solennem processionem ad Urbē Budensem instituit, in qua divina pro aperiendis cœli cataractis tàm oblationibus Sacrificiorū quàm Psalmorum, vix redierunt ad Conventum S. Laurentij, peroptata pluvia sitientē terram refocillavit,Quod animadvertentes populi, Fratres nostros imbriferos vocare cæperunt, inde invaluerunt versiculi sequentes.

Adventu Fratrum, sitiens terra imbre rigatur,
Quos populi laudant, Imbriferosq; vocant.

Tandem penè innumeris pro bono communi laboribus exantlatis, moritur P. Gregorius. Quô rescitô Serenissimus Rex Mathias illachrymatus, præsentibus Regni Optimatibus dixit: *In regno meo obijt quidam insignis*

Præ-

Prælatus, miror quòd illius beneficiū nullus rogat. Instantibus autem tanto ampliùs Regni Proceribus: quis ille tam charô lachrymarum profluviô dignus foret? *Frater (inquit) Gregorius Eremitarum Prior Generalis heri defunctus est.*

F. Thomas de Sabaria Generalis, 25. Sabariæ natus, à primis rudimentis in Monasterio instructus, vitam regularem in flore juventutis professus est, cujus vitam propter diversitatem rerū in duodecem paragraphos distinctam P. Gregorius Giongesinus recenset. Tanti fervoris in oratione fuisse fertur, ut subortis sæpe lachrymis, præsentes ad pietatem incitarit, quos ne suspirijs in simili devotionis studio distraheret, consilio Sapientis obsecundans, intravit cubile suum, & clausô ostiô oravit Patrem suum, eôq; corporis situ, qui juxta precantis possibilitatem omnium modestissimus, adeoq; tantâ majestate dignus censeri potuerit. Spiritui conjunxit literam, cujus amore libris cum ipso sanitatis dispendio impalluit, quô studiô factum, ut ex authenticis Sanctorum Patrū doctrinis, plura Opus-

cula, cum Sermonibus popularibus, propriâ manu conscriptis, item expositione Regulæ, recognitione Professionis, exhortationibus Regularium ediderit. Studio literarum accessit rigor vitæ singularis, quô corpus non usq; adeo firmum, omnibus ferijs sextis, & pervigilijs Sanctorum, cerere & fonte, excubatione insuper nocturnâ, cilicioq; asperrimo in servitutem redegit, alijs diebus hac consvetudine servatâ ut ex duobus ferculis, unô contentus primô die, primum, alterô, alterum intactum Coco remitteret. In negotijs Capituli peragendis copias rerum tractandarũ consignatas, ante oculos habuit. Ibidem cum Definitorio statuit: Valetudinarios ad infirmarium deducendos, rimatis interea eorum cellis, si fortè proprietatis vitio, animæ ægriores essent quàm corpore: Item in causa necessitatis Locorum nostrorum, incendij, aut depopulationis, subsidium à Monasterijs opulentibus sine reclamatione partium impendendum esse. Deniq; domesticis exemplô, externis consiliô, utrisq; oratione multùm proficuus, eâ jam pietatis

tatis famâ audiebat: ut passim ab Optimatibus Regni, pro fortunata Bellonæ sorte, non nisi unius Fratris Thomæ ad Deum gemitus desideraretur. Quinimo à Mathia pro homine divinis illustrationibus fæcundo habitus; Missô enim Chiliarcha suô D. Petro Pogan de dubio obsidionis Viennensis eventu, voce prophætica certificari petijt. Cui F. Thomas consultô priùs divinô oraculô prosperum occupandæ urbis successum nuntiari fecit, dictis ejus postmodùm secundus belli eventus adstipulatus est, neq; in hoc uno solùm spiritus prophæticæ stetit. Ægrotantem enim aliquando Fratrē Gregorium Giongesinum, Antiquitatum nostrarum Compilatorem his (ut ipse refert) verbis interpellavit: *Charissimè Pater Prædicator, moneo vos, ut curam sanitatis habeatis nam onus hujus Sacræ Religionis vobis imponetur.* Quæ si cum ijs quæ infra de Gregorio dicturi sumus comparaveris, spiritu fatidico obsessum Thomam, diviniore quàm Apollinem Delphicum non negabis. Obijt inter verba cælo dignissima.

F.

F. PAULUS *Palco*, Sub felici gubernio Patris Gregorij Primi hujus nominis Generalis. Erat Iuvenis Nomine Paulus de Veteri Buda, Iuvenis concinnæ vocis, sanctæ simplicitatis, omni tempore vocatus est Palko. Hic plures Vicariatus successivè gubernavit. Videlicet Baych. Thall. Unguar, Kapolna, & multis annis Chorum S. Laurentij laudabiliter rexit, qui etiam vixit usq; ad tempora Fratris Ioannis de Salonkemen currente anno 1525. Utinã & nunc viveret, erat enim Exemplar fulgidum Iuvenum ac Senum.

Floruerunt, eô tempore singulari pietatis elogiô nõ pauci Fratres nostri:

F. THOMAS meritô pudicitiæ cognomentô *Angelicus*.

F. MICHAEL de Varadino ibidem populo à concionibus, Medices peritissimus.

F. LAURENTIUS à Duce Crucigerorum ob prudentiam probitati mixtam, sæpiùs visitatus.

F. DIONYSIUS Lapicida ingenios9. Sepulchri S. Patris nostri fabricator, quod ubi Turcicus Ambasiator

basiator ad Mathiam à Cæsare suo ablegatus benevolentiâ Patrum nostrorũ considerasset, dexteram Artificis dilaudans ait: *Verè, Deus Magnus docuit istum artificem & non homo.*

F. MICHAEL *de Battis* parcitate victûs, modestiâ verborum, contemptu superfluitatis, sæpiùs Vicariâ Priorialiq; dignitate conspicuꝰ, cujus ea suerat consvetudo, ut quolibet die totiûs anni, centum orationes Dominicas, totidemq; salutationes Angelicas, Ordinario precum superadderet debito; secundo anno duplum, tertio triplum, quousq; adveniente anno sui transitûs, in tantum cœpta cum incremento pietas invaluit, ut mille trecentas orationes Dominicas, totidemq; Angelicas salutationes in cujuslibet diei pensum numeraverit. Quô devotionis genere cum Michàéle decertaverat.

F. SEBASTIANUS *Conversus*, sartiendis alioquin Fratrũ vestibus destinâtus, eâ tamen differentiâ, quòd hic ante, ille verò post matutinas preces, noctem divinis colloquijs sanctificaret.

F. JOANNES *Zakoli*, Episcopus Cha-

Chanadiensis doctrinâ & pietate singulari præditus, abjectô Episcopali Pedô, Tiara & annulo, elegit Paulinum cucullum in Conventu SS. Corporis Christi de Dioesgeur, regularisq; vitæ Alphabetum inter Novitios auspicatus est, directioni sui Instructoris apprimè subjectus, præteritæ suæ dignitatis nudam etiam memoriam fastidiebat, temporis adeo studiosus in exercitijs pijs & honestis intentus, ut à nullo extra cellam otiosus versari conspiceretur, graviter senserunt tantam viri jacturam Ecclesiarum per Hungariam Prælati: unde quandoq; in aula Strigoniensis Metropolitæ, Budæ congregati habitô Senatûs consiliô idoneô, conabantur, quatenus relictô Monachismô in eorundem consortium transmigraret, ostensisq; Tiarâ, Pedo, ac annulo, cùm in proposito adamante duriorem reperissent, parùm abfuit, quin violentiâ Præsulum sacris pœnitentiæ vestibus exueretur, nisi senex pugno defendisset, et cæteris grandævior quidam Strigoniensis, nimirù Archipræsul, saniori mente præditus, audax facinus his verbis avertisset:

tiſſet: *Dimittamus eum in pace, teſtis eſt mihi Deus, quod ſi ego ſeniô confectus non eſſem, relictô Epiſcopatu meô, ipſius ſtatum, & veſtigia ſequerer.* Ita re infectâ diſceſſum eſt. Nec minori conſtantiâ oblatum ſibi, poſt octavum converſionis ſuæ annum, à Vladiſlao Rege Archiepiſcopatum Coelocenſem Eremiticæ paupertati poſthabuit, quamvis id ab eo Rex cum Superiorum facultate impetraverit, ne tractandis conſilijs quandoq; Regiam ſuam frequentare gravaretur.

Tandẽ Virorũ optimꝰ poſt multa præclarè pro Ordine geſta, in Monaſterio eodem, ubi Spiritum Eremiticũ primitus imbibiſſe diximus, Perſonam hominis cum Vicariatu depoſuit, Quem in ſtadio ſecutus eſt.

F. JOANNES ALBERTUS *Thariſpan* Caſtellanus Caſtri Budenſis & Comes Cumanorum ſæculari gloriâ utiq; Illuſtriſſimus, vel ex eo memorandus, quòd ut primùm de Salvatoris noſtri contumelijs, doloribꝰ, ac morte acerbiſſima aut legiſſet aut audiviſſet, protinus ſolutô oculorũ profluviô in commiſerationem abriperetur; alias patientiâ, humilitatis

ac

ac extremâ paupertatis laude commendatus, plenus dierum, relictô apud omnes sui desideriô, pijssimè, obijt. Ex ejusdem amplissimis facultatibus, Monasterio D. Laurentij, à se applicatis, honoribus Divi Pauli Eremitæ, Sacellum mirifici operis extructum legitur, cui dilaudando Boguslaus de Hansisten ad Ioannem Slechtan sequens Epigramma edidit:

Marmoreā Pauli Primi conspeximus ædem
Esse suam qualem, casta Diana velit.
Hanc non Cretæi quondā videre Parentes,
Nec statuere suo, talia Fana Iovi.
Hæc Aggripæas superant Delubra columnas
Cedunt Paulino Flavia templa Tholo.
Marmoris haud tantū Memphis Bustumq́
Simandii
Aut auri, aut veræ Relligionis habent.
Felices Istri populos, felicia Rura
Felicemq́ Budam Numine Paule tuo.

F. ALBERTUS *Chanadinus*, Prædicator excellens, his tēporibus illustrissi traditur, qui vitam Divi Patris Nostri, tam Pöési heroicâ, quàm Tulliano stylo complexus, Rhytmos etiam de Annuntiatione gloriosæ Virginis, de Angelis & Archangelis in lucem edidit elegantes; & quamvis

ce-

celebrioribus Scholasticis innixus, sapientiæ palmam omnibus eriperet, nequaquam tamen ostentationis aut superbiæ vento in altum se se abripi patiebatur, uti staturâ, ita sui ipsiûs æstimatione semper pusillus. Mortuus est in Conventu OO. SS. de Baich. ubi relictam apud alios opinionem suæ Sanctitatis, hoc miraculo roboravit: Dum enim cadaver Sarcophago inclusum tumuli ceremonias præstolaretur, subitò Spiritus corpori restitutus, præsentes Fratres ad custodiam destinatos circumspiciens, præmisso altiori suspiriô in hæc verba prorupit: *Iudicatus sum, gratias ago Domino Nostro I E S V Christo, qui dignatus est mecum facere suam ineffàbilem misericordiam.* Post hæc Fratribus Senioribus, signanter F. Gregorio de Bala Szent. Miklos, quædam vaticinatus, iteratâ morte ad superos transiit. *Miraculum.*

F. STEPHANUS IV. *Generalis* 33. 1496.
Hic à vita clericali, Spiritu illo quô Filij DEI aguntur, in statũ perfectionis evocatus, vertente annô Eremi Cœnobiticam professus, successivè in Vicariatum D. Laurentij sublimatus est.

est. Eam sibi apud omnes personas laudem promeruit, ut in subministrandis necessarijs, œconomiæ curâ, Novitiorum educatione, miraculorũ annotationibus, quæ dextera Excelsi ad Sacras Patris nostri Reliquias operabatur, nihil in se diligentiæ desiderari passus sit. Factus pro meritorum exigentia Candidæ Cohortis Dux, tanto se more indignum arbitraretur, nisi supra enumeratis auctuarium zeli, mansvetudinis, charitatis erga universos Fratres adjecisset; præcipuè tamen sollicitudine erga infirmos tenebatur, quâ factum, ut non modo crebris visitationibus sed & suavissimis colloquijs, ac medicinarum apparatu & suo Officio & illorum indigentiæ satisfacere allaboraverit. Recitat antiquista nosterem admirabilem sequentibus verbis.

R. Pater F. STEPHANUS, dum Generalatûs officium sanctè & laudabiliter exequeretur, DEO Optimo Maximo patrocinante, applicuit ad Czatka, ut antidotum sanctæ visitationis Fratribus administraret. Et cùm Oratorium intraret, ut sibi in

ota vita moris erat, gratias DEO, cui omnia vivunt, egit, & finitâ oratione Fratres, ut Pius Pater in osculo sancto suscepit: sed quia Colonos illius Regionis relatu quorundam noverat, inquinaria peste laborare, timens etiam Fratres eodẽ morbo infici, festinus caterva Fratrum comitantiũ Domũ Infirmariam ingressus est, & circumspiciens, eos pia ac paternà allocutione recreavit. Inde Domum refectoriam subintravit; ubi cibi aliquali sumpta refectione, artus seniles, laboreq; itineris fatigatos refocillavit, & paulatim duntaxat repausans surrexit, ut ea pietate erat ab infantia DEO acceptus, assumpto pastorali sceptro, iteratò ad domum infirmariam profectus est, ut capitatim eos visitaret; quos cũ numero octonario comperisset, intuitus est ibidem Fratrem Iuvenem Novitium nondum professum, & interrogans, cur illi lecto accumberet? ille ut Iuvenis Deo plenus, dixit: R. P. Pestis inquinaria invasit me, & per Patrem Monasterij huc transmissus sum, Cui R. P. dixit: Charissime Fili pius & misericors Deus, omnẽ

 quem

quem recipit, flagellat, sed esto constans, quia laborantibus dictum est: Redde illis mercedem. F. autẽ juvenis animosior factus, respondit: mirabilia hodie mihi facta possumne narrare? Loquere Fili. Cum URP ante prandium de hoc loco, egressa fuisset, confestim Vir quidam staturâ procerus & forma venustus, ac mirabili veste decoratus, domum hanc subintravit, & sicut mihi vigilanti monstrabatur, Fratres istos singillatim perlustrans, unicuiq; pro denario diurno aureum unum porrigebat, & me præterire volens, lachrymantibus ocellis dixi: Domine mi Colende, cur mihi non soluis, sicut istis? At ille confestim ait: quia Fili tu nondum laborasti in vinea mea. Et ego iterum dixi: Domine mi, licet nondum laboravi, tamen veni ad consortiũ Virorum istorum Sanctorum, & usq; ad mortem laborem assumam, & illico propius ad me accedens, porrexit aureum unũ, quẽ R.P. & nunc manib firmiter complicatis digitis teneo. Cui R.P. Dixit: Fili mi ostende manus tuas, & ille digitis extensis, illico apparuit

for-

forma aurei floreni; Et Pater obstupefactus. Dum de DEI misericordia circumstantibus Fratribus, verba admonitoria faceret, ecce repente juvenis ille Frater cœpit agonizare, & confestim cernentibus Fratribus universæ carnis reddidit debitum. Diebus autem succedentibus, & Fratres, quibus denarius diurnus capitatim porrectus erat, dormierunt in Domino.

F. MARCUS *de Dombro* liberalibus disciplinis admodum excult9, Primus Annalium nostrorum scriptor, & vel ob hoc Ordini Protoeremitico in votis maximis, si quod feliciter exorsus est, concedente vita, ad emolumentũ Communitatis prosequi potuisset. Vicarius in Monasterio Miraculosæ Virginis de Rhemata constitutus, contra repentinos Turcarum incursus, in circuitu ædificij, turrim satis munitam suppeditante sumptum Matthiâ Rege, à cujus munificentia hodiedum turris suo nomine insignitur, suscitavit, tandẽ dispositione Superiorum Claustro B. V. de Lepoglaua titulo Vicarij & Regentis studiorum Præfe-

ctus, postquam suo exemplo plures in excellenti modo prædicationis instituisset, meritis erga ordinem plenus, ibidem fatum extremum subijt. Sed redeamus ad P. Stephanũ Generalem, eiusq; ultima momenta devotè discutiamus. Ex scriptis P. Gregorij Giongesini Doctoris, Annalium nostrorum Compilatoris:

R. P. Stephanus Generalis dum sanctam laudabilemq; injuncti sibi Pastoralis officij dignitatem in utrisq; partibus, tum Pannoniæ, tũ Sclavoniæ, in perlustrandis Monasterijs solerter perageret, Monasterium Simigij, in honorem SS. Petri & Pauli egregia structura subductum applicuit, infirmariamq; ingressus, miserum corpus ægritudine jam gravatum lecto reclinans, Fratrum orationibus devotè se recommendans, inter anhelitus susurro murmure illud Davidicum replicabat: *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est.* Et mox exhilaratâ facie ajebat: *Lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi, in Domum Domini ibimus.* Altera die P. socium F. Valentinum, quem ob vitæ & ingenij integritatem, itineris

sui

ſui Comitem adſciverat, fecit ad ſe accerſiri, & peccatorum ſuorũ completa confeſſione, petijt, ut idem Socius Miſſam de quinq; vulneribus Domini, in Baſilica S. Petri eo præſente celebraret, & ante ſumptum Viaticum ferventiſſimè cœpit orare:

O clementiſſime D. I. C. qui humanũ genus ob peccatum tranſgreſſionis, à Paradiſo excluſum, & damnationi addictũ pia Paſſione à faucibus Erebi extraxiſti, eiq; æternitatis aditum devicta morte reſeraſti: Qui quidem me indignum peccatorem tuæ redemptionis participem ab ineunte ætate ad tua deſideria & obſequia inflammaſti, en adeſt dies, quâ ex beneplacito tuo è carnis carcere liberandus ſum, ſed quibus meritis meis ad participationem tuæ gloriæ perveniam, non invenio. Miſerator & juſte Domine, deſperare non poſſum, video namq; caput tuum ſpinis transfixum rigentibus: manus atq; pedes aſpicio ſacro manantes ſangvine, conſidero labores & opprobria, quæ pertuliſti, nec quidquam in te delicti apparet, pro quo iſta patiaris: peccata mea, o be-

nigne JESU ista meruerunt: succurrat ergo quæso mihi tua Passio, & beata mors tua pandat mihi coeli aditum. Veni obsecro o Amator Domine dulcis JESU mi. Etenim anima mea sitivit ad te Deum; desidero valde dissolui, & esse tecum. Finiat ergo obsecro Domine mors ista exilium meum, consummet laborem, terminet peregrinationem, reddat naturæ debitum, & applicet ad portum. Post actus hos suscepit Viaticum, & extremam unctionem, rediitq; ad Infarmariã: ibi post aliquod interuallum Ego F. Ualentinus ejus Socius divertens ad ipsum, inveni lachrymantem, qui apertis oculis ait: Cur Fili me inquietasti? Ecce aderant Iuvenes magno cum exercitu, veste pulchra decorati, florum incredibilium crinalia serta in capitibus gestantes, venusta facie coram me incedebant. Et duo ex Iuvenibus venientes, duo serta mirifici decoris & odoris capiti meo imposuerunt dicentes: veni nobiscũ, quia dignus es, ut nostro consortio adiungaris, redolens Christi odorem bonum, & cùm animi vires cogerent,

us

ut assurgerem, membra debilia deprimebant, ex hoc dabam gemitus & anhelitus. Iterato facie hilarata dixerunt. O charissime Concivis noster, adhuc sustine modicum, ut per patientiam valeas lavare stolam mortalem in sangvine agni immaculati, & mox nostro Collegio addendus eris. Auditis dictis R. P. Ego Collega advolans in Congregationē Fratrum animo hilarato, omnia, ut acta fuerant, narravi, & petitis Fratrum orationibus, Patrem & recommendavi, & rediens ad Patrem dixi, Pater salutant te Fratres, & inveniens illum in lecto suspirantem & lachrymantem dicentemq; Charissime Fili poplite flexo ora & tu Deum pro me peccatore, nam justo Dei judicio adiudicatus sū ad pœnitentiā 24. annorum ob culpas neglectas quorundam Fratrum Ordinis, remissus enim fui in correctionibus; his auditis cœpi confortare Patrem dicens: Pater esto intrepidus: Nam Christus venit in mundū peccatores vocare, & ovem perditā humeris imposuit, ideo canebat Psalmista: *Misericordiâ Domini plena est terra.* Ego Pater

assumam onus tuæ pœnitentiæ & spero in DEO, quod 24. anni dati sunt tibi pro 24. horis, & cùm nihil responderet, cucurri iterum ad Fratres singula narrans, ipsi singultibus orationes fundebant, tam pij & benigni Patris tribulatam gementes patientiam, & cum è tenebris altera illucesceret dies, cæpi horas diei canonicas ad caput ejus peragere, & ipse Pater quasi de gravissimo somno evigilans dixit: Charissime Fili, Pater æternæ benedictionis tibi refundat gratiam, nam orationibus tuis & Fratrum, misericordia per JESUM Christū data est mihi. En jam morior, & terram terræ cōmendo, in reliquo reposita est mihi corona gloriæ, cursū consummavi; laborans modicum, multam requiem inveni. Tu igitur Fili pallio tuo corpus meum involve. Appropinquante ergo hora 12. oculis levatis, & vultu ultra modum exhilarato, manibus ad pectus cancellatis, rauca voce iterum dixit: Ecce advenerunt Angeli, dicentes: Surge Charissime Concivis noster, & adora Dominū JESUM Christum. Et statim Ego

Col-

Collega miser peccator procidens in terram, flens & gemens dixi: Confortare R. Pater Ecce isti sunt 24. anni tibi pro pœnitentia deputati, nam nunc sunt horæ 24. sicut dixerat per Prophetam: *Diem pro anno dabo tibi.* Et iterum cæpit clamare: Surge Fili, & da honorem Deo. Ecce Sancti Dei turmatim advenerunt: Et ego præ gaudio cucurri ad Fratres: Charissimi Fratres venite capitatim, ecce R. P. in agone est, advolantibus Fratribus & in genua provolutis dixit: Filioli, ecce advenit Christus cum Virgine Maria; & clausis oculis in silentio orabat: Iterato oculos aperiens hilari vultu clamabat: Hoc est quod semper optavi, repetens tribus vicibus, his dictis maximo suspirio contracto, cæpit facies pallescere, & sic contracto secundô suspirio, inter sacratas manus Fratrũ, emisit spiritum. Et juxta ritum Sacri Ordinis nostri horâ Vespertinâ ad fossatum præparatum tradidimus sepulturæ. Moriatur anima mea & tua Lector morte justorum, & fiant Novissima nostra illis simillima.

F. JOANNES *Allemannus*, Sub 1816.

Ge-

Generalatu R. P. Gregorij ſecundi, Viri virtutum ſignanter in ædificijs tam Eccleſiarum quam Coloniarum, floruit ſanctitate Frater Ioannes Allemanus meritiſſimus Senex. Venienti P. Generali ad Monaſterium S. Euſtachij de Czeutt obviam progreſſus, integra valetudine, exclamavit: Gratias ago Omnipotenti Deo de adventu R. Paternitatis Veſtræ! Solummodo hoc exoptavi; *ut R. Paternitatē Veſtram videre merear, jam lætus moriar.* Optimi Patris vaticiniū rei eventus probavit. Etenim pridie nonas Maij, nempe poſt triduum mundatâ coram Confeſſario conſcientiâ & myſterijs completis, prandio quoq; cæna, & collatione ſpirituali inhabitata, ſanus & integer viribus, hora Completorij in Refectorio ſanctiſſimè, cui vixit, ita obijt.

F. THOMAS *Diaconus*. Sub gubernio R.P. Ioannis. Adoleſcens quidam F. Thomas Diaconus Jlluſtri parentelâ prognatus, expleto laudabiliter religioſi triennij curſu, terminum humanæ converſationis clauſit. In ſolennitate enim quadam cantans de more epiſtolam, raptus in extaſim,

ſim, ſed paulò pòſt ſibimet reſtitutus, interruptam epiſtolam proſequitur; mirantur omnes, ipſe picto ſimilior hominis ſimulacro, attonitus, interjectis aliquot diebus, Patri à concionibus, quamvis valetudine integer, moribundi tamen inſtar, devotiſſimè confeſſus, vertente demum hebdomada, levi corporis languore correptus, in infirmariam ſe deduci à Confeſſario poſtulavit, Jllo verò interrogante, an non timeret ſolus ibidem decumbere? reſpondit: non; eo quod Sanctorũ quàm plurimi, qui eo in loco Spiritum Creatori reddiderunt, agoni ſuo adfuturi eſſent. Perſuaſus tamen, ut in cellam potius aliquantulum calidam, ſupra fornicem refectorij deduci pateretur, acquievit. Urgente autem cruciatu per hebdomadam nullis impatientiæ ſignis exaſperatus, JESUM tantummodo & Mariam ingeminabat. Bis tamen, aut ad ſummum ter, has voces illa doloris magnitudo, aut oblivio potius expreſſit, ſed mox recollectus, ſeipſum objurgans Ey, Ey, F. Thoma, JESUS MARIA reiterabat. Demũ ſacro Viatico inſtruendus,

dus, in Eccleſiam ſe portari faciens, quo facto, poſt auditum miſſæ Sacrificium in Infirmariam reductus, ad extremam luctam Sacro ceromate delibutus eſt; poſt hæc abſolutis horarijs precibus, ipsâ nocte Virgini Præſentatæ Sacra, raucâ voce ſtationem ad Crucifixum oravit, Tandem pronuntiatis iterum iterumq; nominibus Sacroſanctis, & Salve Regina ab adſtantibus recitato, placidiſſimè intaminatum ſpiritum exhalavit. Poſtero mane perſolutis funebralibꝰ Fratres duo Iuvenculi rem admirandam retulerunt: *Vidiſtine F. Chariſſimè* (aiebat *F. Benedictus*) *venerandam illam proceſſionem miro ornatam indumento? quæ ingreſſa eſt Eccleſiam & proceſſit magnum altare versùs ad Sanctuarium, dum funus circumdaremus in medio Eccleſiæ, & officia decantaremus?* non vidi (reſpondit alter F. Valentinus) *Sed obſecro audiſtine dulciſſimā melodiā illā* quæ in fine cujuslibet ℟. & antiphonæ, tanquā finalis diſtendebatur ſuper magnum Altare? (illo negante) dicebat rurſum F. Valentinus: *Ego nunquam vocem ſuaviorem audivi, quaſi fuiſſet Puerorum, ſed non*

ſicut

ſicut huius ſæculi, & putabam omnes audiviſſe, quia voce clara canebant. Et F. Benedictus repoſuit: *Ego quoq; nunquam Proceſſionem venuſtiorem, & putabam omnes vidiſſe.* Colloquentibus hunc in modum ambobus Fratribus, ſupervenit Sacerdos ille, qui ſacrificabat, dicta dictis confirmans, nunquam ſe tanta voluptate abſorptum, quàm in ipſo myſteriorũ ſacrorum actu, aſſeruit.

F. STEPHANUS *Batt.* Collega P. Generalis Ioannis Secundi, Polonus Cracovienſis, Vir præ cœteris inſignis, humanitate in converſando & prædicatione Verbi DEI, eo tempore præcipuus; tam Theologicis, quam Philoſophicis, ac humanioribꝰ ſcientijs excultus. Extabant poſt pia illius fata complura ingenij ſui teſtimonia: Vita nimirum Divi Patris noſtri Pauli Primi Eremitæ. Elogia Beatiſſimæ Matris. S. Regis Stephani, ac cujuſcunq; Sancti pro quolibet Die totius anni, carmine Elegiaco ac Saphico deſcripta. Tractatum quoq; pulcherrimum edidit de Feſtivitatibus Glorioſæ Virginis, indito illi nomine, Roſarium Chriſti, cũ

expo-

expositione totius Psalterij Eidem Virgini adaptata.

F. STANISLAUS *Oporovius.* Natione Polonus, ex Doctore Cracoviensi Academico Paulinus, ob pietatem cum doctrina admirabili mixtura temperatam, specialibus à Deo prærogativis honoratus. Etenim Corpus Oporovij in Ecclesia Ordinis 1541. Anno, 10. Calendas Maij tumulatum, longo annorum tractu cor-

1524. S. Ordinem ingress9 ruptionis expers, visebatur; hodie tamen à Nostratibus incognitum, eò, quod ad perversi cujusdam calumniã dicentis: *Nondum malus iste computruit*, ab oculis Fratrum evanuerit, forte non nisi longis precib9 suo loco restituendum. De eo Martinus Barovius Iaroslaviensis Clericus, Libello de Sanctis Poloniæ Patronis, Cracoviæ 1615. impresso, & antea Romæ per Magistrum S. Palatij Apostolici reviso, sequentia recitat: B. Stanislaus de Opereu, Ordinis S. Pauli P. E. in Academia Cracoviensi, Artium Magister & Philosophiæ Doctor, in Monasterio S. MARIÆ Clari Montis, Ordinem ejusdem S. Pauli ingressus, primũ Confessa-

fessarij, tandem Prædicatoris munus obiens, pòst Prior Vielgimlinensis, ac tandem Provincialis, magnũ specimen Sanctitatis de se protulit. Cujus corpus intactum, nullâ putredine infectum, hucusq; illæsum permanet. Oporoviæ sepultus apud Fratres sui Ordinis 1541.

F. GREGORIUS *Gyongyesinus.* Anno 1528. salutatur Generalis, cui tantundem Candida Paulina Respublica grati animi debet, quã Athenienses olim Choerilo Samio, cui pro victoria contra Xerxem in Annales relata totidem stateres aureos, quot versus edidisset, numerarunt. Scripsit librum Epitoma dictum, seu Pœniloquia, in quibus omnium Religiosorum profectũ & profectuum adminicula; item defectus & defectuũ antidota describuntur. Sermones quoq; de S. Patre nostro typo impressos, item Commentarium in antiquas Constitutiones doctissimũ, ex quo perspicuum est, eum in SS. Patrum lucubrationibus, Theologia Scholastica, jure Canonico & Civili, inter suæ Doctores ætatis peritissimum fuisse. Functus Officio

Collegæ

Collegæ Generalis, ſeptennē Prioratum in Urbe tenuit, quo expleto, ſupremum Ordinis Rectoratum ſuſcipere coactus, ita ſe in Regimine ſuo diverſiſſimis hominum complexionibus attemperavit, ut à bonis non niſi amari, à malis verò timeri, ab utriſq; etiam venerari meruerit. Ejus intuitu dum Romæ 20. hujus ſæculi anno Priorem ageret, Leo X. Summus Eccleſiæ Præſes, gratiam ſuper abſolutione & diſpenſatione Fratrũ ab Anno 1520. uſq; ad ſæculum aliud, ſignanter P. Generali alijſq; 10 Perſonis à ſe deligendis induiſit.

F. MATTHÆUS *Thorok*, Senecio Centenarius obijt in Cœnobio B. V. de Rhemeta, vel ideo hoc nomine compellatus, quod à Graſſatoribus cũ alijs dicti Monaſterij Fratribus comprehenſus: ſedecim ãnorũ captivitatem inter verbera & compedes Turcicos pertulerit, Deo tamen (qui Pſalmiſta teſte *ſolvit compeditos*) miſerante ad præfatum Clauſtrum reverſus, juvenilem animum quo olim erga pietatis exercitia impiger ferebatur, reaſſumpſit, finitaq; poſt Miſſarũ ſolennia gratiarũ actione, plerũq;

plantan-

plantando ibidem horto, in ſurculationibus agrorum reliquum diei ſedulus impendit. Eidem fructus ille nobiliſſimus (vulgo Boſnenſia pyra, qualiâ paſſim in nobilioribus hortis per Hungariam, Croatiam, Dalmatiam reperiuntur) in acceptis adſcribitur. Aſſertus enim è Turcia in Chriſtianam libertatem, dum Boſniam itineraretur, extractum pyrorum ſurculum ſecum Rhemetam attulit, à cuius plantagine, remotiora demum loca, genus illud cum nomine derivârunt.

F. GREGORIUS *Cælius Pannonis* Anno 1546. Claruit doctrina & Sanctitate, in Alma Urbe Prior ad S. Stephanum Rotundum. Qui præter explanationem Regulæ D. Auguſtini, ſcripſit Collectanea in Apocalypſim, eô ſpiritu, ut à Doctiſſimo Cornelio à lapide, Sacræ hyſtoriæ Commentatore, Cœlicus cognominaretur. Commentarius verò ejuſdem Patris in Cantica Canticorum à R.P. Laurentio Chryſogono S.I. in mundo ſuo Mariano, non modo in confirmationem doctrinæ de Immaculata Conceptione Virginis ſæpius ad-

ductus, sed magnis quoq; laudibus celebratus est.

VITA & MORS
F. Georgij Martinusij seu Vtisino-vich Or. S. Pauli P.E. in Monasterio Laad Professi Episcopi Varariensis S.R.E. Cardinalis.

F. Georgius, à Patre cognomento Utisinovich, Matre Martinusia, Iacobi Martinusij Episcopi Scardinensis Sorore, Anno Redemptionis humanæ 1481. in Dalmatia natus, primos adolescentiæ annos in Aula Ioannis Corvini, Matthiæ regis Filij transiens, inde Arci Huniadianæ præficiendus, ab eodem in Transylvaniam missus, cui muneri paulò post valedicens, annorum 25. Patre à Turcis occiso, Heduigis viduæ, Matris Ioannis Regis servitio se addixit, cognita deinde Iacobi Fratris sui morte, splendidam aulæ miseriam pertæsus, monastico D. Pauli Proto-Eremitæ instituto, in Monasterio Laad appellato, Anno D. 1506. sub auspicijs Stephani, secundo electi Generalis, nomen dedit; ubi post exhibitū regu-

regularis obſervantiæ ſpecimen, quadriennio ſtudijs literarijs operam navans, Presbyter ordinatus, varia Officiorum munia diverſis in Monaſterijs obivit. Tandem vel peregrina hoſpitalitate, Loci Claromontani clariſſimi allectus, vel perturbato Hungariæ ſtatu coactus, Czeſtochoviam ſe contulit; ubi in Ioannis Hungariæ à Ferdinando Auſtriaco æmulo & competitore ſuo, Regno exacti & in Poloniam profugi, in familiarem amicitiam iterata viſitatione ſe inſinuans, ab eodem in Hungariam cum F. Georgio Peſth tentandis benevolorum animis, ac in fide & officio erga Regem ſuũ confortandis miſſus, id dexteritate ſua apud Proceres Tranſylvaniæ, alioſq́; effecit, ut Ioanni ab exilio revocando, auxiliarem porrigeret manum, Solioq́; Regio, quod armis Ferdinandi jam tenebatur, poſtliminio reſtitueret. Hæc Fratre Georgio apud domeſticos moliente, interea Hieronymus Laſki Palatinus Siradienſis pro Ioanne externa ſubſidia implorans, eò Solimanum Turcarum Imperatorem adegit, ut ingentibus Copijs in Hungariam

progressus, Ioannis causam contra Adversarios gladio vindicaverit. Pace demum inter Ferdinandum & Ioannem composita, id conclusum: ut post fata Ioannis, Austriacus Regno succederet, assignatis Proli Ioannis, si quæ superstes fuerit, in Hungaria & Silesia, quas jure jurando se Ferdinandus daturum spoponderat, Arcibꝰ.

Hac conditione Ioannes Regno potitus, nihil antiquius habuit, quam Fratrem Georgium pro suis erga se meritis remunerari; itaq; præter Varadiensem Episcopatum, thesauri etiam Regij Præfecturam eidem concredidit. In tantis Regni negotijs, (ait Paulus Jovius, & ex illo Victorellus,) nemo diligentius Regni opus inspexit, nemo corrogandæ pecuniæ rationes adinvenit, usq; adeò ut Ioannes præcipuâ se ejus Viri industriâ regnare fateretur, & Ferdinandus hostis ejus sæpe diceret: se nihil prorsus invidere Ioanni, quam unum Monachum, qui decem millibus Galeatorum prævaleret. Ioanne mortuô cujus extrema voluntate Tutor Filij Sigismundi & Consortis Regiæ Isabellæ cum Petroviciò constitutus

erat,

erat, omnes Comitatus Inferioris Hűgariæ, qui à Finibus Transylvaniæ ad Tybiscum porriguntur, Szakmar, Szarand, Bichar, Szdnok, Bekeż, teste Francisco Forgach, Commentatore Rerum Hungaricarum sui temporis, obtinuit. In Transylvania autem pingvissimas arces cum Civitatibus sibi devinxit, tantâ quidem potentiâ, ut ad Summum splendorem, summamq; dignitatem nihil præter regium nomen deesset. Quippe stipatum legimus alâ veteranorum, & prætorianarum cohortiũ lectissima manu è mille quingentis conflata militibus, quos pro custodia corporis, pace, & bello, nusquam à latere dimittebat.

Non latuit Ferdinandum, quantũ sibi rebusq; suis prodesset Georgius, penes quem rerum omnium summa persisteret; ideoq; misso Comite à Salmis, eum suas in partes flectere allaboravit, eo planè tempore, quo instituta legatione tractabatur cum Solimano, ut regno alieno excederet, & cum Isabella Regina Ioanis relicta, quatenus iuxta pacis tabellas, Ferdinando Regni Insignia transmitteret, se quoq; curaturũ, ut Filio Transylva-

ſylvania tota, & patrimonium Familiæ Zapolianæ ſimul cum Opaviæ & Sileſiæ Principatu traderetur. Poſtquam jam Georgius hortatu Salmenſis in partem Auſtriacorum declinaſſet, nullum non movere lapidem videbatur, ut ad Ferdinandum Apoſtolici Regni diadema devolveretur: Ea de cauſa Reginam adiens, adductis pro bono Patriæ ſuiq; rationibus, orabat, Ferdinandi votis obſecundaret, Regno, quod morte Mariti juxta pacis Sacramenta tranſijſſet, cederet, neq: Turcam Chriſtiani nominis hoſtem, in ſui defenſionem accerſeret, quæ Georgij petitio poſt poſitæ fidei Tutelaris ſuſpicionem Iſabellæ ingeſſerat: Inſuper Solimannum eò exacerbavit, ut Georgium vel è vivis tollere, vel vinctum ſibi tradi ab Hungaris & Regina poſtulâ-rit. Interea Ferdinandus visâ Mulieris pertinaciâ, numeroſo exercitu Civitates Hungariæ cum Arcibus expugnat, adeo ut imminentis periculi terrore concuſſa Regina, protinus inſignia Regni Ferdinando deferenda in manu Georgij reſignârit. Auditô autem Solimanni adventu,

ventu, qui sub prætextu defensionis Reginæ Copias in Ungariam trans miserat, Ferdinandus Georgij bellicosissimi operâ contra Hostem usus, centum millia Armatorum, ejus imperio, adjuncto sibi Castaldo Duce, subjecit. Dumq; eo cum agmine Lippam contenderet, ut Temesuarū à Turcis vindicaret, in itinere literas accepit, significantes se in numerū Cardinalium promotione Ferdinandi & Caroli V. Fratris sui adscitū esse quam dignitatis accessionem modesto excepit animo, quasi, eâ se non diu potiturum, præsentiret. *fit Cardinalis.*

Porro in oppugnatione Lippæ, strenuissimi Militis & Ducis officiū executus, viridi veste supra album habitum injectâ, volantibus circa pileū cristis conspicuus, milites & verbo & exemplo ad victoriam animavit: ita, ut Franciscus de Forgach fol 10. asserere audeat, recuperatæ Lippæ gloriam & conservati Temesuari, ac expeditionis decus penes Georgium stetisse, tanto celebriori famâ, quod à nemine Ducum Ferdinandi, Civitatem tantis munitionibus validam à Turcis recuperatam,

homines meminissent, quæ res magnæ illi apud Castaldum invidiæ seminarium extitit, præcipuæ verò quod Ulamanem Turcicarum Copiarum Ducem, jam à Cæsarianis gravissimè pressum, incolumē dimisisset, ne scilicet Solimannus ob nimiam in Ulamanem crudelitatem exacerbaretur, cum tamen Castaldus post habitis tyranni minis, contrarium in ejusdem Ducem meditatus est. Et ideo Castaldus, habitis his & alijs contra Georgium offensionum caussis, literis ad Ferdinandum clam directis, necem Cardinalis instantissimè petijt, è bono Reipublicæ esse dicens, ut uno sublato à periculo proditionis totus Exercitus liberaretur. Quod esto timendum forte non sit, alia tamen ratione, propter inconstantiam hominis, quietam Transylvaniæ possessionem nusquam fore, persvasit. Asserunt Authores, quos inter Florimundus Raymundus l. 4. c. 7. num 2. Ferdinandum in necē Viri consensisse, illataq́; jam morte à Iulio 3. Orbis Christiani Præside, excommunicationis sententia ictum, quod tamen nos, ob aliunde perspe-

ctam

ctam Ferdinandi bonitatem & in Viros sacros reverentiam, nobis imaginari non possumus; Ipseq; Ferdinandus, ut in Isthanfio legere est, ab intentata suspicione criminis se fusiori calamo purgârit.

Accessit aliud discordiarũ fomentũ, Georgium inter & Castaldum, occasione Hyberniorum eò, quod Castaldus Castrenses Copias per Transylvaniam distribuere volens, à Georgio impeditus fuerit, quo factum ut ille in præassumpto contra Cardinalem odio confirmatus, occultam cædem communicatis consilijs cum Sfortia Palavicino meditaretur. Cũ itaq; ambo Duces ad Aluincrium Castellum pervenissent, Castaldo honoris causâ hospitium in majori & commodiori ædium parte iussu Georgij assignatur, ipse sibi cubiculum quoddam ad meridiem, in quo ejus diei reliquum, ac quæ imminebat noctis transigeret, elegit; Copijs fere omnibus dimissis. Unde Castaldus oportunitatem rei gerendæ se nactũ videns, Sfortiam Palavicinum ad se vocatũ ut rẽ aggrederetur hortatus est. Qui statim Hispanorum peditũ

Profe-

Præfecto Andreæ Lopez, dedit in mandatis, ut cum selecta promptissimorum Militũ manu ante auroram, dum currus Cardinalis pararentur, ad se in Castellum veniat, portam, quo majori posset silentio absq; tumultu occupet.

Sfortia totam noctem eam insomnem ducendo, ac consulendo transegit, re demum constituta Marcum Antonium Ferrarium Castaldi amanuensem, Patria Alexandrinum, Laurentium Campegium, Ioannem Moviorũ Scaramuciam, Ioannem Mercadium & Petrum Abulensem Cohortis Præfectum, cædi parandæ socios assumpsit. Quapropter Marcus Antonius sicâ occultoq; sclopeto instructus, Georgio preces matutinas exequenti, per cubicularium puerum denuntiat, arduum se magniq; momenti negotium habere, cum eo paucis communicandum. Admissus in Conclave literas profert ad Ferdinandum Regem in sui commendationẽ scriptas, orans nomen suum apponere dignaretur. Georgius sumpto calamo, cum prono in literas vultu se se inclinasset, Antonius pugione jugu-

jugulum ipsius lethali ictu transadigit: Vulnere accepto, mirum dictu perterritus, sicut ac in sui defensionē animatus, septuaginta annorum Senex Georgius percussorem suum pugno in terram prostravit. Strepitu simul & clamore exorto, Sfortia & cæteri decem irrumpunt, strictisq; gladiis Georgium JESU MARIÆ opem implorantem circumsistunt, & ictus ingeminant, ita vulneribus quinque & sexaginta inflictis, velut totidem apertis ostijs tremebundam animam Sacrilegi Parricidæ exturbarunt; cujus corpus postquam septē dierū spatio in loco cædis suæ sangvinolentum jacuisset, tumultuatio funere à Sacerdotibus Collegij Albensis in majori æde D. Michaëlis sepulturæ traditum est. Is finis fuit Viri Nobilissimi, domi militiæq; clari.

Cujus vindicandi gratiâ, mox pestis, bellū & hæresis ab Ultore DEO subsecuta sunt: Quamdiu Georgius Monachus vixit, una in Ungaria nempe Catholica viguit Religio, hæresi obstructus aditus, at eo mortuo, non in diversas tantum sectas distra-

cta,

ɑa, ſed etiam in maximas calamitates devoluta eſt. Nec Caſtaldus ullum deinceps generoſi animi argumentum edidit. Eadem erant Regna, ijdem Viri, at Dux Georgius deerat, Georgium omnes clamabant, & inſano luɑu ab inferis revocare necquidquam conabantur, nôrant enim, quid Vir ille potuiſſet, ſi ad Patriæ periclitantis negotiũ vel Dux vel Adjutor adfuiſſet, tantâ enim præſtabat authoritate, ut hominum animos quò voluit inflecteret; unoq; mandato brevì ſexaginta armatorum millia (ut ad Zarzebes factum vidimus) in campum educeret. Uterq; Imperator, tam Romanorũ quam Turcarum, ad ſuas Georgium partes pellicere conabatur. Refert Iovius, & ex illo Victorellus. Georgium ad omnia natum. In peragendis Sacris, ferendis iejunijs, chriſtianæ diſciplinæ triſtitiam demiſſo vultu ſic præſetuliſſe, ut is idem non crederetur, qui in gravibus belli, paciſq; negotijs, nomen erecti ardentiſq; animi nactus fuerat. Ferdinando in belli expenſas viginti millia nummorũ aureorum conceſſit, acceptoq; viciſſim diplo-

diplomate Regio Ferdinandi, Caroli V. Imperatoris, & Iulij 3. Pontificis, quibus eidem ingentia promittebant, dummodo fidem Principibus illis datam, opere, uti cæpit pergeret comprobare, cujus tamen contrariũ à se factum non nulli Authores insinuant, sed an non illi potius fidem in credendo amiserint judicet bonus lector.

Qui Fratris Georgij Religiosum statũ, Purpuratam Eminentiam, cum Episcopali dignitate conjunctam, super omnia Septuagenariam ætatem cui (ut Eleazarus senex olim dicebat) dignum non est fingere, vel fidẽ semel datam revocare, perspexerit. Sed plures sunt, dices, qui Georgium calamo hystorico infidelitatis reum appellant; non sunt tot, qui ad diffamandam tantæ authoritatis Personam de jure sufficiant, imo unus vel alter tantum est, reliqui (ut ex styli similitudine colligatur) calamos mox eidem atramentario immerserunt; aliunde, scimus, quo animo ferantur sæcularium aliqui in Viros Religiosos, maximè quos rebus publicis immixtos vident, ut verum sit illud Poëtæ:

Invi-

Invidiam Comitē Virtus à parte sinistra
Semper habet secum.

Videtur autē innocentia ejus declarata parricidis, omnibus, ut Natalis Comes & Nicolaus Istuansius testes sunt, miserandum in modum interfectis. Sfortia Palavicinus, captivus in Turciam delatus, dirissimis verberum plagis cæsus, tandem seipsum confecit. Marco Antonio caput jussu Cardinalis Tridentini obtruncatum. Campegius in venatione cæsarea ab apro dilaniatus, Scaramucia Mediolani Virgis cæsus. Alius à Gallis in frusta concisus; omnes deniq; justas parricidij pœnas infallibili Dei judicio persolverunt. Cæterum Georgij Fatum jam antea ab Abbate, cujus Ecclesiam diruerat, ut arcem ejus loco extrueret, prænunciatum his verbis. *Id Deus non sinet multum, imo pœnam jam imminentē video.* Tomeus parū diversè scribit: *Georgio Monasterium in Transylvania Monachis vacuum, in modum Arcis construenti, amicum Virum probum dixisse: Quorsū hæ in loco Sacro munitiones, Georgi? Cum respondisset: Arcem non extruo, ut Sacro loco injuriam inferam, sed ut vi-*

ut vitæ meæ tutelam parem. Adjecit amicus, Caveas loco præsidij tumulum efficias. Sacra Loca, si profana fiant, Deum habent ultorem.

Refert quoq; Ludovicus de Dolce in vita Ferdinandi *fol.* 136. Presbyterũ Sacris coram Georgio operantem, relicta hostia solum Calicẽ populo demonstrasse, quod argumentũ fuit: Fratris Georgij sangvinem brevi spargendum. Hæc de Fratre Georgio.

F. *MATTHÆUS Biecensis* ex cõmuni humana calamitate, scivit calamum deliciarum spiritualium efformare, dum pro singulis Sacratissimæ Quadragesimæ Ferijs, in sinistra manu quinque vulnera Christi Crucifixi ignita cerâ hispanica exprimere consveverat, publicèq; portare non erubuerat, mundo & diabolo in perperam, cum Doctore gentium ingeminando toties: *Nemo mihi molestus sit, ego enim stigmata Domini in corpore meo porto.* Ex actis Polo.

F. Simon Bratulich Generalis 50.
Episcopus Zagrabiensis.

IN Istria sub dominio Monasterij S. Petri in Sylvis ortum habuit. Ibi-

dem

dem à Stephano Ternavino in tyrociniũ religiosum adscriptus, Romam deinde studiorum causâ missus, ad Ordinis Monasterium, inde redux comite doctrina, titulum Prioris de Elephant, tandem Vicarij Generalis, successivè Thalensis adeptus est. Fratre demum Stephano è viventiũ tabulis expuncto, ejus loco sufficitur. In supremo ergo gradu constitutus, nil antiquius habuit, quam Ordinẽ, ampliori numero Fratrũ, scientijsq; liberalibus ad avitum splendorẽ resuscitare. Ex quo autẽ minerva domestica suos erudiri non posse advertit, quosdam magis idoneos peregre ad Academias mittere in votis habuit, fecit ipsum, Romam alios, alios Viennam, Olomucium, Pragam submittendo, opem ferendo sibi Reverendissimo Claudio Aquaviva S. J. Præposito Generali, omnibus refertissimo, uti docet litera ad eundem data Romæ 1602. 28. Decembris.

Ex oppugnatione Canisæ, in Sago & Toga Simon se spectandum dedit, Magnanimi Monachi strenuiq; Militis elogio ab omnibus honoratũ, in eo clarissimus, quod Serenissimum

Maxi-

Maximilianum Archiducem munere Regio & Imperatorio in Hungaria functum, dum post victoriam, deviam eandemq; periculosam teneret semitam, à præsenti hostium periculo suo occursu & consilio exemerit, quæ in belli Ducem suum fidelitas F. Simoni, tanquam de Augustissima Domo Austriaca optimè merito, magno honoris Episcopalis incremento cessit. Ad residentiam namq; nostram incolumis deductus Maximilianus, Syrmiensem Episcopatum in grati animi tesseram accepit, postea paulo post Zagrabiensem, utrobiq; pro virili satagens, ut Viris doctis & eruditis hinc Venerabile Capitulū, inde Monasteria S. Pauli P. E. repleret. Inde factum ut plerumq; doctiores, aut è PP. Societatis, aut è Canonicis vel etiam nostris prandenti cœnantiq; assiderent. Ipsum sæpius testante Martino Pagdan ejus Sedis postea Episcopo, novum honorem aggratulatus est Cæsar. Episcopus Parentinus, & Hieronymus Episcopus Adriacensis, Nuntius Apostolicæ Sedis de data Græcij 13. Octobris Anno 1603.

L PP.

PP. Societatis Zagrabiam introduxit. Bona Episcopatus Zagrabiensis acerimè defendit.

In Castris loricatus galeam cum tiara & cucullo conjungens, æquè gladium in hostes stringere, quā devotè coronam Virginis recitare conspectus est. Abrogato Ordinis Breviario & Missali, ad Romanum coégit. Pro habenda voce in publicis Regni consessibus Ordini nostro S. Pauli P.E. ab antiquo habita egit & obtinuit. In curia Izakovecz febri correptus, post salubrem animæ dispositionem factam, è vivis excessit 1611. Corpus Lepoglanam delatum, tandē Zagrabiæ sepultum.

Sub regimine F. Simonis Bratulich floruerunt Sanctitate. Venerabilis P. *Benedictus Felnemethy* olim Canonicus Nitriensis, & Archidiaconus Graduensis in Eleffant sacro habitu paulino indutus, mortuus Anno 1597.

Venerabilis P. *Ioannes Wilkowiecko* Polonus magni nominis Prædicator, qui eloquentiâ & vitæ probitate, ad verbum Dei audiendū plurimos attrahebat, in solennioribus Festis è Cathedra Arcis Cracoviensis magno

Proce-

Procerum applauſu deſcendere viſus. Extant illius Homiliæ typo expreſſæ, intitulatæ *Flores Sermonum in Evangelia Dominicalia*. Adhuc ſub P. Stephano Temavino Romæ in monte Cælio prioratum tenuit, obijt in Domino anno Salutis 1611.

V. P. Martinus Kamocki, Jlluſtribus Parentibus in Siradienſi Palatinatu Poloniæ natus, Vir ſimplex & rectus, quemadmodum Iob, multis clarus virtutibus, quarum calculo ter Provincialis Poloniæ titulo inclaruit, mortuus eſt anno 1610.

V. P. Joannes Dżierembſki Polonus claris ortus natalibus, pietati addictiſſimus, in pellendis Dæmonib9 multum felix, mortuus in itinere ad Capitulum Generale, & Oppaniæ in Eccleſia RR. Patrū Dominicanorum tumulatus, beatam inibi præſtolatur reſurrectionē ab anno 1611.

F. IOANNES Zaicz Generalis 51. Ex Comitatu Szaladienſi in Hungaria liburnis Parentibus ortus; exactis pueritiæ annis F. Ioanni Bratulich à ſervitijs religioſis fuit, perſpectâ demum Adoleſcentis probitate in Po-

loniam ad Clarũ Montem Częstochoviensem missus, ibidem à P. Rocho Provinciali ipso die OO. SS. Anno Salutis humanæ 1595. Sacris vestibus Religioni inauguratur. Exacto Tyrocinio, Simoni in Thall professus, ad Convictum Olomucensem humanioribus & Philosophicis & Theologicis scientijs imbuitur, tandẽ Romam ad Collegium Germanicũ concendit. In Provinciã redux Conventum in Elassant, postea Thall administravit, postmodum Vicarius Generalis ac tandem Prior Generalis salutatus, postpositis alijs honoribꝰ Vicariatum Ecclesiæ Collocensis suscepit, quousq; grandævus jam venerandâ canitie Vir, ingravescente corporis debilitate Sacramentis viaticis præmunitus, inter adstantium oculos, quos piè exhortabatur, animam Creatori Deo, decenniô Vicariatûs sui reddidit.

F. ANDREAS Tablerus, Austri Neapolitanus Pauli & Margaretæ Civium Filius, præ cæteris claruit pietate in Deum. Hic à F. Simone Bratulich Lepoglavam deductus 18. ætatis anno, Christi vero 1610 in

con-

contubernium Protoeremiticum adſcribitur: vertente anno, ſpectatâ ingenij qualitate à F. Ioanne Zaicz Ordinis Rectore Romam deſtinatus, literam Spiritui maritali fœdere conjungens, de utroq; à binis Soc: JESU Religioſis P. nimirum Bernardino Caſterio Collegij Rectore, & P. Aloyſio Albritio memorati Collegij Moderatore commendatus, quorum poſtremus in hunc modum : *P. Andreas Tablerus Venerabilis Ordinis S. Pauli P. E. Profeſſus, venit ad Collegiũ Germanicũ & Hungaricũ* 1611. *in eoq; permanſit usq; ad annum* 1618. *quo tempore pietatis, modeſtiæ, cæterarumq; virtutum ſtudio non vulgare exemplũ præſtitit, cultui divino imprimis addictus, in omnibus ſuis actibus perpetuo ſibi conſtans, ſuiq; in bene cæptis memor, Philoſophiæ & Theologiæ operam dedit, in quibus ſtudijs optimi ingenij ſpecimen, præbuit. Aloÿſius Albritiũ Collegij Germ. & Hung. Rector* mp.

Eam tamen ingenij præſtantiam nõ naturæ dono ſed lumine cœlitus dato conſecutum patet ex his quæ 1635. R. P. Antonius Iob ejuſdem S. J. Collegij Miniſter. F. Martino Ben-

kovich, hodie Generali Ord: meritissimo tunc Romani Collegij Alumno in loco Infirmariæ ægrè decumbenti recensuit: Nimirum, *Vbi consvetudine receptâ Alumni ejusdem Collegij finitâ refectione ad Ecclesiã D. Apollinari sacram devotionis gratiâ se recepissent, inter eos* Andreas noster, *dum ante aram D. Catharinæ Studiosorum Patronæ supplex ad difficultatum scholasticarũ amnem superandum opem imploravit, insigni miraculo, à dictâ Virgine illicò humana voce se se alloqui his omnino verbis intellexit: Non â me pete, sed ab ista.* Gloriosam Dei Genitricem in eodẽ Altari secum venerari solitam, indigitante. *Ergo Iuvenis consilio Tutelaris suæ, ad Mariam conversus, ut quæ ipsum Sapientiæ Oceanum gremiô complecteretur, unicam saltim venulam in alveum ingenij sui derivaret, enixè flagitabat. Ei impetravit etiam, ex quo in studio tãprofundo, quâm sacro, nulli deinceps Condiscipulorum secundus extitit,* hæc de P. Andrea Tablero ductore suo & Cóalumnô memoratus P. Antonius Iob, quæ quia pluribus eo tempore nota esse subintulit, huic capiti dignè inserenda judicavimus. Romæ evo-

luto

lutô ſeptenniô ſtudiorum, reverſus, munere Prioris in Cœnobio D. Volff-gangi juſſus cum negotijs Domûs ita poſtulantibus, vicinam Urbem Sopronium adijſſet, à Perſona impudentiori ad nefas ſollicitatus, naturalibus excrementis elegantem iuvenilis faciei formam adeo confudit, ut raro caſtitatis exemplo aquas ſalutares ex oculis fœminæ elicuerit, quibus illicitos illa ignes extingueret, ſimul eidem occaſionem amplectendi Religionem Catholicam (erat enim hæretica) eo facto præſtiterit, quo palam ſit, hodierno quoq; ſæculo, non minus, ac olim Spurinar Damocles, Nicetas, ſui victoria contra inteſtinum hoſtem triumphare. Hæc à P. Andrea Franciſco relata. Mortuus eſt F. Tablerus in Noeſtadienſi Cœnobio, vigeſimo hodierni centenarij anno Die 26. Decembris; perceptâ prius Euchariſtiâ, & Sacri ceromatis delibutione cum dicto: *Lætatus ſum in his, quæ dicta ſunt mihi, in domum Domini ibimus.* Auditus etiam adſtantes alloqui: *Videor mihi totum mundum obambulare, & Gentes ad catholicam fidem traducere.* Nimirũ Vir

Religiosissimus similem affectum in intimis præcordijs, dum viveret, alu-erat semper. Ibidem ad aram S. Virginis, ut ipse instanter petijt, hu-meris Religiosorum Cistertiensium deportatus est.

F. SEBESTIANVS Conversus. Anno 1616. Candidorum numero Lepoglauæ adscriptus, facta professio-ne in Istriam missus, Viri undequaq; Religiosi partes egit; Otij acerri-mus hostis, deficiente labore quan-doq; Patrum cellas circuire solitus, si quomodo industriâ suâ opus ha-berent interrogavit hic pius & labo-riosus Frater. Fatali lecto affixus, cũ jam, jam se moriturũ persentisceret, & nullus Confratrum, qui animam e-xeuntẽ suffragijs comitaretur, adesset, è culcitra se proripiens, arrepto cam-panili signum Fratribus dedit, qui-bus ille novitatem rei admirantibus supplex factus, sacrũ moribundorum Viaticum & cõmendationẽ animæ postulavit, illud adijciens, dignaren-tur corpusculum suũ subtus Aram Gloriosæ Virginis, cujus Sacris pedi-bus quoad vixit semper inhæserat, recondere. Ita Sacramentis omnibus muni-

munitus & recitata commendatione feliciter expiravit. Corpus ubi petijt, eo in loco tumulatum, laborum præmia adhuc præstolatur.

F. IOANNES *Rodoki*, Nobilis Hungarus, modestiâ & compositione Religiosa excellens, in Claro Monte Czestochoviæ Pœnitentiarij & Magistri Novitiorũ munere clarus, postquam fere Septuagenarius anno D. 1621. vivere desijt, eâdem horâ cuidam è Presbyteris nigrâ indutus casulâ se in conspectum dedit; hortando svaviter Missam Defunctorum salutis suæ causâ recitaret, ille ut erat somno gravatus, mortis ejus ignarus vilipendit monitum, alterá nocte denuo ante oculos illius versatus Missã, Missã ingeminabat. Tum Pater de Obitu F. Rhodoki Missam desideratam cum spe salutis persolvens, deinceps à timoribus nocturnis securus jacuit.

F. RUDOLPHUS *Biell Generalis* 52. Hic in Suevia vitæ & Religionis stamen exorsus secundô hujus sæculi annô à F. Simone Bratulich ad Collegium Germanico-Hungaricum comitibus Ioanne Zaicz & Thoma Franich

nich expeditus, ob singulares animi dotes, morum compositionem, in omniū amoribꝰ versabatur, in tutelarem Angelū devotione assiduus fuit sublimioribus scientijs àpprimè excultus fuit. Adscito sibi Achate Emerico Losi, postea Archiepiscopo Strigoniensi, Româ Lepoglavam proficiscitur, inde à Simone Bratulich in patriam missus, gubernationem Rhenanæ Provinciæ suscepit, post decennium creatus Generalis totius Ordinis in Thall. Secundū Decreta Concilij Tridentini, Transgressores votorum acrius castigavit, signanter paupertatis. Cultum divinum adeo cordi habuit, ut psallentibꝰ ubiq; immixtus fuerit; cum Gregorianis gregorianus, cum Figuralistis Figuralistam egit. Neostadij moritur 1629. 6. Calendas Novembris.

F. ANDREAS *Padarovich* Michäéle & Helena Vinicæ in Sclavonia natus Anno cæptæ Reparationis 1609. emensô pueritiæ cursu, à Præposito B. U. de Zagrabia Martino Dobrovicio ibidem Humanioribus erudiendus traditur; ubi eâ ingenij felicitate viguit, ut decursu unius anni,

anni triũ Scholarum labores emetiretur; Inde Græciũ Styriæ profectus, opera PP. Societatis coeteris Alumnis in celebri Ferdinandæo adnumeratur, taleq; de se præbuit ingenij specimen, ut in concertationibus Aristotelicis facile teneret primas. Euolutâ trieteride philosophicâ, quam Comiti Ioanni Draſzkovich de Trakoſtiam ex Bano Hungariæ Palatino, dedicarat, Zagrabiam reverſus, intrat S. Ordinem Paulinũ. Profeſſus ita ſe alloquebatur: *Ecce votorum tuorũ compos factus es, igitur non ad molliter cubandum, veſtiendum pretioſiùs, tractandũ delicatiùs, ſed in dies majores de mundo, Diabolo, carne victorias reportare te debere ſcias.* Theologiam Viennæ cæpit, ſed ob corporis debilitatem finire non potuit. Ex Capitulo facto Supprior Lepoglavenſis adhuc Diaconus. Sacerdotiũ ægrè ſuſcepit, ratus ſe malle Laicum Fratrẽ eſſe, ſentiens ſe eâ dignitate Angelica immeritum. Eã vultûs compoſitionẽ exhibuit, ut à multis alter Bernardus, aut Bruno diceretur. Caſtitatis amantiſſimus, cujus conſervandæ gratiâ modico cibo utebatur. Ad ſedandum

ſitim

sitim manus in aqua immergebat, quod & Iunioribus factitandū suadebat. Lectus illius stramen vel foenū grossiori tela coopertum, eadē indusiorum qualitas, quæ sangvine cruentata visebantur à discipulis, Horologium pro more dirigendo de Scala cecidit, sed miraculosè servatus illæsꝰ. Anserem furto sublatum & mensæ appositum gustare noluit exemplo Tobiæ, dicendo cum Augustino: *Melius est habere conscientiā purā quàm ventrem turgidū.* Confessarius ejus asserebat, se cum pudore ejus Confessionē excipere, nec unquā nisi cum spirituali à Sacro subsellio recedere. Fluxu sangvinis debilitatꝰ dicebat: Charissimi Fratres: JESUS Salvator meꝰ totum pro me effudit sangvinē, effundatur & meus, si eidem placet; Ad Christi Crucifixi imaginē conversus dicebat: *o IESVLE mi Crucifixe jube me venire ad te*, compositisq; sensibꝰ præmissâ Sacramentorum susceptione placidissimè obdormivit 1630. *communiter ab omnibꝰ pro Beato habitus & pronuntiatus.*

F. GASPARUS *Bidrzikowski*, Religionē ingressus Anno 1614. Ab-

solu-

ſolutis Romæ ſtudijs, Doctor Theologiæ rediens, ad Eccleſiā Clari Montis decorandam, Capita SS. Martyrum Euſebij Presbyteri, Donati Diaconi cum alijs Sacris Lipſanis, & velo Sericeo rubri coloris, quod annis 20. Corpus D. Philippi Nerei contexerat, attulit. Anno 1629. in Provincialē Poloniæ electus, Gratiā pellendorum Spirituum ex obſeſſis corporibus clarus. Præter Illuſtriſſimā Dominam Czárnkowſká Palatiniſſam Poſnanienſem quinquennio maleficijs ac Dæmonio detentā, perſonas plures ad imaginē miraculoſæ Virginis ab Inſeſſore avernali liberavit. Quid mirum, ſi enim Virginitas fulvos potuit domare Leones, eadem illa judicio Confeſſariorum, in F. Gaſparo illibata permanens, Stygiū quoq; canem ſuperare valuit. Placet de anima cujuſdàm è flammis piacularibus eliberatione aliquid ſubtexere. In majori hypocauſto cujuſdā Nobilis nocturni terrores non ſemel moleſtias facere ſoliti, ut habitatores loco migrationem inſtituere cogerentur; intellexit hoc F. Gaſparus & convento Nobili, eo in loco cum

Soci-

Socio Fratre pernoctare instanter petijt; quo impetratô cum in oratione vigilaret, ecce intempestâ nocte, è fornacis angulo persona rustica, formidabili cum strepitu in conspectum prodit; subitò bonus Pater impressô fronti signô salutari, in verba solutus: omnis Spiritus laudet Dominum! cui umbra, & ego, inquit. Tû per Nomen Sacrosanctum se adjuranti, quis sit? quid velit? quæve causa fragoris? Respondit se ante annos quindecim, stante eo in loco taberna, à Parente uxoris suæ occisum esse, eò, quod dotem importunè, quamvis non injustè ab uxore requireret, corpus occultando sceleri post fornacem proiectum; se tamen in via esse salutis, quod eodem die inexpectatæ mortis, expiatis coram Sacerdote culpis obijsset, ita petitis antea pro anima suffragijs ex oculis evanuit: Postera die, cadaver vulnere uno in capite, alterô in manu signatum extrahitur, debitisq; ceremonijs, præmisso Sacrificio in cæmeterio tumulatur. Unde apparet F. Gasparum conscientiæ fuisse ejusmodi, quæ detrudendis ad orcum malis Spiritibus, & pro-

& promovendis animabus ad gloriam multũ idonea videretur.

Celebre hoc ac notum de eodem, quod arctissimæ famis tempore ipse paupertatis Professor Pauperum Patrem benignissimum se exhibuerit; nemo enim sine munere ab eo vacuus recessit, nec tamen inops permansit, tantô enim plus Misericordiarũ Pater ex insperato F. Gasparo est largitus, quantô is liberaliùs erogabat; Parentatum illi post fata à Pauperibus, Virisq; Religiosis sæpiùs ingeminantibus: *Magnã* Columnam Monachorum in Polonia corruisse.

F. MARTINVS Grusskoviez Generalis 53. Polonus.

Hic à prima annorum decuria Studijs liberalibus apud PP. Societatis operam navans, 18. ætatis, post emensum tyrocinium, Deo, & Sacræ Religioni Sacramentum dixit. Mox ad Stagiræum Calissiense, inde Romam diviniori scientiâ imbuendus promovetur; ubi consvetudine Doctorum, piorumq; hominum usus, S. Theologiæ lauream adeptus est. Redux in Patriam, utroq; munere Lectoratûs & Prioratûs Cracoviensi Conventui

ventui præfectus, quibo laudabiliter administratis, officio Prædicatoris & Superioris in Claro Monte fungi jussus, paulopost totius Provinciæ onus excepit. Quo in munere regularē disciplinam vestigijs insistens Prædecessoris egregiè promovit. Sed cum electio tanquam legitimè non confirmata eidem obijceretur, à Nuntio Apostolico officij robur accepit.

Electus ad mentem Concilij Tridentini in Generalem, licet toto corde reluctans & lachrymabundus. Matutinum de media nocte revocavit, Completorium suo tempori restituit, Mensam regularem invexit. Clausuram ad mentem Summorum Pontificum ordinavit, nil eorum negligens, quæ Officij sui partes in tanta Religionis necessitate postularent. Erga Virginem immaculatè conceptam devotissimus, cujus tuendæ gratiâ mediante in Urbe Procuratore Congregationē sub ejus titulo erigere adlaboravit. Coronam illius de die sæpiùs decurrebat, id etiam Socijs attestantibus, ut quoties somnū interrumperet, eo iterum conciliando Salutationē Angelicā recitavit.

Casti-

Caſtitatis & Modeſtiæ ſtudioſiſſimꝰ, Cracoviam pro viſitatione veniens inadverſam prolapſus valetudinē, in ipſo Pervigilio Purificatæ Virginis, eò jam defectu laborabat ut extingui crederetur. Cuius lectulo aſſiſtens P. Gregorius Teretius ait: *Areſto animam, dies craſtina eſt Sacræ Virgini Deiparæ, cui Paternitas Rmā devotè ſervivit, devotione religioſâ abſolutâ, avolet à nobis ſi bono DEO ita viſum fuerit.* Factum ita, audito enim, altero die Sacrificio intra ſecundam noctis vigiliam, ad Beatam requiem properavit. Confluxêre plurimi utriuſq; ſtatûs homines inviſendi corporis cauſâ quos inter Reverēdiſſimus D. Eraſmus Kretkowſki Officialis Cracovienſis lachrymis perfuſus viri pedes deoſculabatur. Ad Eccleſiam deportatus à Fratribus, à Religioſo Carmelitarum Diſcalceatorum panegyriſatus; in cripta noviter erecta tumulatus.

F. JOANNES *Theis Provincialis Sueviæ.* Ex Hungaria ad ſuam Provinciam redux graſſatores Hæreticos offendit, à quibus variè de fide & Religione tentatus, poſtquam & fidem

& Religionem se nunquam dimissurũ declaravit, cum Iacobo Strobel statuario occisus est inodium Ecclesiæ. Cumq; ardenti desiderio teneretur V. Sacramenti, ecce adest subito Presbyter qui petita administraret, votis præsentem nactus paulo post cum Socio Fratre, aliud sed longius iter æternitatis inchoavit.

F. NICOLAUS *Staßewski Generalis* 54.

Hic Anno 1622. ætatis 27 ex Cancellaria Spirituali Consistorij Posnaniensis Ordinem ingressus, à P. Nicolao Krolik Provinciali ad acta scribenda applicatus, à P. Gasparo Bidrzykowski Romam mittitur ut Procuratoris Provinciæ munere fungeretur simul Philosophiæ & Theologiæ operam daret, utriq; ad vota satisfecit Post à P. Martino Gruszkowicz Procurator Generalis constituitur. Mortuo Generali adhuc Romæ existens ab Urbano VIII. Vicarius Ordinis Apostolicus usq; ad celebrationem Capituli Ordinatur, tandem & Generalis. Czestochoviam pro inauguratione P. Andreæ Goldonowski in Provincialem Poloniæ advolavit cum Nuntio Apostolico, re-

versus

versus in Hungariam in Uychel ædificio Monasterij manum admovit post Constitutionibus formandis insudavit. Cæterum quod ad privatos mores F. Nicolai attinet humilitatis fuit tantæ, ut Viennam versus iter faciens Officio Vicariatûs Apostolici jam excellens, dolium fundo carens instar Diogenis subierit. Nec minore in Sanctam paupertatē ferebatur amore, utpote cui repetita Vestis, victus tenuis in delicijs fuerunt. Existens aliquando in Capella Miraculosæ B. V. Czestochoviensis ante ipsam electionem audivit hæc verba: *Eris Provincialis*, reposuit: *Tu scis Domine quia pro te patior.* Jllico illi responsum: *ita est pro me* Alias frequentius cum S. Theresia auditus dicere: *Domine aut pati aut mori.* Visum tandem Deo optimo, ut catharro universaliter serpente, & ipse communi malo involveretur qua in ægritudine, à Reverendissimo D. Ioanne Episcopo Neostadiensi Viro omnibus virtutibus ornatissimo visitatus, & an mortem timeret interrogatus, respondit: *Injuriam Deo meo magnam facerem si mortem timerem.* Asseruntij qui mori-

bundo astiterant, non semel protestatum, se in omnibus dictis factis, perpessis, tentatis aliud non spectasse quam Dei honorē & ordinis emolumentum. Sacramentis rite præmunitus, & commendatione animæ, ipso cooperante & respondente præmissâ, sibi præsentissimus Neostadij 1653. Idibus Februarij extingvitur cui dictus Pontifex in Pontificalibus comitatus parentavit.

F. MARTINUS *Borkovich* Generalis 55. Musis humanioribus Zagrabiæ valefaciens, S. Religioni Lepoglavæ anno Redempti Orbis 1627. Festo D. Thomæ Apostoli manib9 F. Ioannis Bellostenes loci superioris initiatus; transacto tyrocinio sub F. Andrea Padarovich Sacramento monastico se obligavit. Biennio evoluto Olomuciū mittitur, ubi laureâ decoratus à F. Martino Gruszkowicz Generali pro Theologia Romam expeditus est exactoq; quadriennio Lepoglavæ Concionatorem egit, post Vicarium Generalem, tandem Anno 1644. in Generalem electus, munus hoc per annos duodecim interpolatis vicibus Sanctissimè obivit.

vit. Sancivit ut Fratres in fine collectarum profundè se inclinent usq; ad verba *In unitate Spiritus.* Secundo ad Sacra nomina JESU & MARIÆ in Missis genua flectant *exceptis adstantibus: Aliýs verò temporibus omnes caput reverenter ac notabiliter inclinent, tam in Ecclesiæ quam in refectorio.* Renuntians officio generalatûs, causa quietis in Elefant commoratus Conventum illum muris cingit propter incursus Turcarũ Tallense Monasteriũ restauravit. Crumloviense in Moravia, in Polonia Konopticense, Leczeszicense, Varsaviense, sub felici ejus Generalatu stetit. Tandem creatus Episcopus Zagrabiensis postea Archiepiscopus Collocensis in omnium sanctitatis fama habebatur: Præsertim in aula Imperatoris Leopoldi I. Qui suæ Augustissimæ illum indigitans dicere consueverat: *Vis videre Sanctum in corpore? hic est.*

Vir Dei P. PAULUS *Ivanovius* Generalis 56. post Episcopus Seardinensis & Præpositus S. Thomæ de Strigonio tandem & Tininiensis Episcopus simul, (retento tum Ordinis habitu tum Fratris titulo ex

regulari vivendi consvetudine) volente sic Jllustrissimo Principe Archiepiscopo Strigoniensi creatus est. Quos honores amplissimis virtutibꝰ laboribꝰ & fatigijs condecoravit usq; ad mortem sub cujus gubernio mortalitatis onus deposuit: 1637.

Reverendissimus F. ANDREAS FRANCISCI Varadiensis qui 1610. Ordini Sacramentum dedit. Romæ S. Theologiæ studuit reversusq; varia in Ordine munia obiens, ex Vicario Generali Episcopus Syrmiensis creatus est Mortuus Posonij in aula Archiepiscopali, & in Thal tumulatus 1653.

F. IOANNIS *Kieglevich* Parentibus Magnificis D. Petro Kieglevich Libero Barone de Bussin & Margarethâ Gierezi progenitus Vondorfij 1652. 18 ætatis anno indutus, emissâ professione Philosophiæ sub F. Emerico Nagij operam dedit. Tyrnaviæ Theologiam inchoaturus, sed morte in ipsa Vigilia Omnium Sanctorum præventus. Tractatum de visione DEI facie ad faciem practicare cœpit, quam intellectu tenero

per

per speculum & in ænigmate nunquam comprehendisset. Pietate dũ vixit & humilitate cum confusione Personarum inferioris conditionis excelluit. Sanus adhuc coram præfato Professore suo brevi se moriturum ariolabatur, quod factum est. Omnes fatum ejus deplorantes ingeminabant dicentes: Vivat Ioannes qui mundo bis mortuus nil aliud cupiebat cum Paulo quam dissolvi & esse cum Christo.

Sequuntur obiter alij Generales Defuncti.

F. Jannes Kery Generalis 57. ex Comitibus

Fr. Augustinꝰ Benkowich, Generalis 58. postea Episcopus Varadiensis. 1672.

Fr. N. Beberi Generalis 59. 1676.

Fr. Ludovicus Barilowich Generalis 60. 1677.

[illegible].Gaspar Malechich Gene: 61. 1680.

Fr. Raphael Michalski Generalis 62.

Fr. Joannes Krysztalovez Generalis 64. - 1730.

Fr. Ladislaus Nadasdi Vicarius Generalis, ex Comitibus Epoſcopꝰ Chanadinensis Obijt. 1729.

En

En benevole Lector habes brevem Sanctorum Eremitarum Paulinorum, nec non eorum quos cœnobitica vita in conspectu DEI *Hominumq; fecit gratiosos, Seriem; En unus Paulus! pauper & modicus sed* Lumina mille. *Lege, fave, meditare, venerare imitare & vale.*

